DISCUSSIO THEOLOGICO-IURIDICA DISCUSSIONIS IMMERITÒ...

Augustinus Michel

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
15 A
23

M

59

Digitized by Google

X c 4

5. A. 16.

Digitized by Google

Digitized by Google

DISCVSSIO
THEOLOGICO-IVRIDICA

Diſcuſſionis *immeritò aſſertæ* Problematicæ ad decantatam legem Amortizationis.

Quam

AD FINEM TOMI PRIMI

Commentariorum in jus Bauaricum poſuit

ILLVSTRISS. AC EXCELLENTISS.

DN. D. GASPARVS
Schmid L.B. ab Hasl & Pùrnbac, &c.

Formata ab

AVGVSTINO MICHEL,
Collegiatæ Eccleſiæ Vndenſtorffenſis Superioris Bauariæ, Canonico Regulari, SS. Theologiæ, & Iurium Profeſſore.

ROMÆ, Ex Typographia Ioſephi Monaldi 1699.

Superiorum permiſſu.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Reuerendiſſimis & Illuſtriſſimis Per-illuſtribus, Praenobilibus ac Excellentiſſimis, Dominis, Dominis

PRÆPOSITO, DECANO, totique CAPITVLO Cathedralis Eccleſiæ Friſingenſis,

Dominis meis perquàm Gratioſis, ac Patronis Obſeruandiſſimis.

DN. Dn. IOANNI SIGIMVNDO ZELLER, Libero Baroni ab & in Leiberſtorff, Domino in Gleinſtetten, Epiſcopo Bellinenſi, Cathedralis Eccleſiæ Friſingenſis Præpoſito, Canonico Capitulari, & Suffraganeo, nec non Reuerendiſſimi & Sereniſſimorum Electorum Colonienſis, & Bauariæ Conſiliario intimo.

Dn. Dn. ANDREÆ à LENZERN, SS. Theol. Doctori, Cathedralis Eccleſ. Friſing. Decano, Locumtenenti, & Conſilii Aulici Præſidi, nec non Eccleſ. Collegiatæ S. Viti ibidem Præpoſito.

Dn. Dn. FRANCISCO ANTONIO BEGNVDELLIO BASSO, SS. Theol. Doctori, Cathedr. Eccleſ. Friſing. Canonico Capitulari, Scholaſtico,

Vicar. Gener. & Officiali, &c.

Dn. Dn. CHRISTIANO, Comiti à Konigsfeld, Domino in Zaitskouen, &c. Cathedralis Ec. Friſingenſ. Canonico Capitulari, Seniori, nec non Reuerendiſſimi & Celſiſsimi Principis ibidem Conſiliario Aulico.

Dn. Dn. ALBERTO SIGISMVNDO à Weſtah in Moſen, weeg, & Armſtorff, Cathedr. Eccleſ. Friſingenſis Canonico Capitulari.

Dn. Dn. VITO ADAMO, Liber. Baroni à Pelckouen in Hochenpuchbach, & Moſach, Cathed. Eccleſ. Friſingenſis Canonico Capitulari, Cuſtodi, & Conſilii Eccleſiaſtici Præſidi, nec non Præpoſito in Monte Madronenſi.

Dn. Dn. IOANNI RVDOLPHO Libero Baroni à Leoprechting, in Panzing, & Aich, Cathedr. Eccleſ. Friſingeſ. Canonico Capitulari, nec non Reuerendiſsimi & Celſiſsimi Principis Conſ. Cameræ, &c.

Dn. Dn. IOANNI ANTONIO GVGLER, ab & in Zeilhouen ad Turneypach, I. V. Doctori, Cathedralis Eccleſ. Friſingenſ. Canonico Capitulari, &c.

Dn. Dn. FRANC. IOSEPH. ANTONIO, Libero Baroni de Roll, in Pernau & Ganſingerthal, Cathedralis Eccleſ. Friſingenſis Canonico Capitulari, Cameralis Conſilii Præſidi, nec non Præpoſito ad S. Ioann. Baptiſtam in Monte Friſing. &c.

Dn. Dn. IOANNI GASPARO ECKHARD. I. V. Licentiato, Cathedrali Eccleſ. Friſingenſ. Ca-

Canonico Capitulari, nec non Reuerendiſsimi & Celſiſsimi Principis Granario.

Dn. Dn. IOANN. HENRICO FRANCISCO DOMINICO, S. R. I. Comiti de Hochenvvaldegg. & Maxlrain, &c. Cathedral. Eccleſ. Frinsingensis Canonico Capitulari, Reuerendiſsimo, & Celsiſsimo Principi à Consiliis Ecclesiaſticis, & ſupremo ſyluarum Præfecto.

D. D. MAXIMILIANO EMANVELI, Lib. Baroni à Neuhaus, in Greiffenfels, & Ernhaus, Cathedralis Eccleſ. Frising. Canonico Capitulari.

Dn. Dn. CHRISTOPHORO HENRICO, Libero Baroni ab & in Zandizell, Domino in Malzhauſen, Munſter, & Riedhaim, Cathedralium Eccleſiarum Auguſt. & Friſing. Canonico Capitulari, nec non Reuerendiſsimi & Celſiſsimi Domini, Principis & Epiſcopi Friſingenſis Conſiliario Aulico.

Dn. Dn. IOAN. LVDOVICO IOSEPHO, Libero Baroni de welden, in Hohen-Altingen & Laupheimb, Cathedralium Eccleſiarum Aichſtettenſis & Friſingenſis Canonico Capitulari, Reuerendiſſimo & Celſiſsimo Principi & Epiſcopo Friſingenſi à Conſiliis Eccleſiaſticis.

Digitized by Google

PRobè nouerunt Reuerendiſſimæ, ac perquàm Gratioſæ Dominationes veſtræ, quantùm Zoilorum & Mamorum dentes, quibus exhauſtus in ſcribendo labor & ſinceriſſima intentio proſcindatur, horreant, quicunque demum, cuiuſcunque tandem argumenti, libros edunt. Quis porro mihi animus? qui ſenſus? quis horror? cui argumentum ſcribendi eſt ſummi momenti, aurea nempe & ſancta libertas omnium Eccleſiarum in acquirendo; cui eſt propugnatio maximè ardua aduerſus Virum doctrina famoſum, conſilijs inclytum, Boiariæ quondam Cancellarium intimum; cuius auribus identidem atroces vndique minæ, ſi in cœptis perrexero:

Time tonitrua, vt euites fulmina.

cuius animo graui verborum pondere grandis Magnatum, indignatio multoties oggeritur.

Leo rugiet, quis non pauebit?

Verùm hæc & alia innumera fermè terriculamenta per DEI gratiam magis audere fecerunt, non perhorreſcere. Cauſa ſummi momenti, qualis eſt aurea & ſancta liber-

libertas Eccleſiarum, non debebat ſilentio noſtro, & Politicorum malè ſuadentium conſilijs ampliùs periclitari, ſed inanis conſulentium fucus palàm detegi. Propugnationem adeò arduam à me ſuſcipi aduersùs virum doctrina famoſum, conſilijs inclytum &c. Eccleſiæ perhonoriſiſsum futurum erat, vt in minimo Alumnorum ſuorum vinceret, ac per inſtrumentum planè infirmum penitùs diſiiceret prudentes ſæculi, vna & extremos eorundem litterarios conatus ad ſubruendam immunitatem Eccleſiaſticam à multis jam annis congeſtos. Minæ animum ſibi non conſtantem terrent, generoſum non percellunt, tum maximè, quando militat pro honeſtiſſima, iuſtiſſima, quin imò diuina cauſa Eccleſiæ, immunitatis ac libertatis Clericalis; pro qua etiam ſanguinem fundere, vti glorioſum, ita genuinò Eccleſiæ filio foret exoptatiſſimum. Magnatum Patriæ indignatio eos terreat, qui illos fucorum amantes, ac veritatis oſores ſibi impiè fingunt, nec illi indignabuntur libello, nemini mortalium iniurioſo, ſacræ modeſtiæ obſeruantiſſimo, deferenti omnem humillimam reuerentiam Sereniſsimæ Domui Bauaricæ, *pro tuendis Eccleſiarum Iuribus vnicè intento, tandem præcisè eo collimanti, vt palam innoteſcat, quàm modici, imò nullius ſint roboris Politicorum huius ſæculi argumenta, quibus ſibi & alijs perſuaſerunt, poſſe citra iniuſtitiam authoritate merè laica emanare legem, amortizationis dictam, arcentem Status Eccleſiaſticos quoſcunque à comparatione ac acquiſitione vlteriori bonorum. Quòd ſi verò innocentiſſima iſthæc intentio boni Eccleſiaſtici, & iuſtiſſima defenſio Cleri, ſtoma-*

chum

chum cuiquam præter ſpem moueat, non equidem in cibum, profectò ſalutarem, ſed in malè affectum ſtomachum turbatio & eructatio reiicienda erit. Certe ſi Illuſtriſſimo Domino Cancellario in Domino defuncto, publico typo Statuum Eccleſiaſticorum Iura in acquirendo in dubium vocare, horrifico ad ſpeciem argumentorum cumulo aggredi, omnes ratiunculas conquirere pro iuſtificanda prohibitione non bonorũ mobiliumũ duntaxat, ſed omniũ penitùs immobilium quin ipſarum hæreditatum & legatorum &c. vt contextus diſcuſſionis problematicæ demonſtrat; ſi atroci iniurioſa criſi ſtatus Eccleſiaſticos omnes non mendicantes inſectari licuit: licebit vtique Iure naturæ retundere ictus certò nocituros, ſi non retunderentur. Licuit Themiſtocli, liceat & Epaminondæ. Quod quiſque iuris in alterum ſtatuerit, eodem & ipſe vtatur. ff. h. t.

Eſto verò cauſa, quam propugno, iuſtiſſima, intentio æquiſſima, pugna tamen eſt ardua & difficilis. Ne igitur temerè eandem aggrediar, non ingredior arenam, niſi ſub potenti præſidio ac protectione Reuerendiſsimarum, Illuſtriſsimarum ac per quàm Gratioſarum Dominationum Veſtrarum, *quas nouit Vrbs & Orbis in palæſtra libertatis Eccleſiaſticæ pro tuendis Cathedralis Eccleſiæ* Friſingenſis *Iuribus ſæpiùs ſtetiſſe fideliter, pugnaſſe alacriter, viciſſe fortiter, triumphaſſe feliciter. Vos itaque cum* Reuerendiſsimo & Celſiſsimo Capite Veſtro *prælia vniuerſi cleri, prælia Eccleſiæ, prælia Domini prælitantem potenti manu iuuate, ſuſtinete, protegite.*

Fauc-

Fauete gratioſè pijs conatibus meis; quos glorioſo ac Illuſtriſſimo nomini Veſtro conſecro, vnà & memet gratijs veſtris humillimè commendo.

Reuerendiſsimarum, Illuſtriſsimarum, ac perquàm gratioſarum Dominationum Veſtrarum

Humillimus Seruus

Auguſtinus Michel,
Can. Reg.

Digitized by Google

CENSVRA.

CVm benigniſſimus Deus omni tempore ad defenſionem immunitatis, & libertatis Eccleſiaſticæ à ſæcularibus quandoque tentatæ, & impugnatæ graues Eccleſiæ Doctores, & doctiſſimos athletas excitarit, qui exindè aſcendentes ex aduersò tanquam murum pro hac libertate, fortiſſimis Legum, ac Iurium argumentis priùs iam ſtabilita ſe oppoſuerunt: Et cùm illud ipſum per adiectam diſcuſſionem Theologico-Iuridicam magna vigilantia, ac ſtudio elaboratam, perſpicuè, ſolidè, ac neruosè præſtetur, clarèque contrarij impetus per eandem frangantur, idcircò nullus dubito, quin non ob Auctoris quoque feruens ſtudium, indefeſſam eiuſdem vigilantiam, in re hac formanda dexteritatem, ac ob magnam Iudicij acrimoniam typo committi poſſit. Auguſtæ 26. Septemb. Anno 1697.

Franciſcus Gulielmus Aymair Doctor,
Conſil. Canon. & Pœnitentiarius.

Conceditur, vt imprimatur.

Io: Theodor. Hauler de Gleichenſtorff,
Vicarius Generalis.

Digitized by Google

CVm diſcuſſio Theologica-Iuridica receptarum ſententiarum pondere, argumentorum efficacia, dicendi prudentia, cæteriſque illis requiſitis fulcita ſit, quę Catholicum decent Auctorem; conſequens eſt eamdem approbatione dignam, & à Cenſorum notis immunem exiſtimare. Talem itaque eam deiudicio, Typibuſque liberè mandari poſſe cenſeo vti Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Iuribus fauorabilem, & ſcientiarum Profeſſoribus valdè proficuam. Datum Romæ ex ædibus noſtris die 30. Iunij 1699.

Odoardus de Silua SS. D.N. Papæ Maioris Præſidentiæ Abbreuiator, & Vtriuſq; Signaturæ Referendarius.

LIbrum D. Auguſtini Michel Sac. Theologiæ, ac Iurium Profeſſoris, cui titulus: *Diſcuſſio Theologico-Iuridica ad Legem Amortizationis*, anno proximè elapſo Auguſtæ Vindelicorũ typis euulgatũ, quiq; nunc ad Romę ſubarctiori cenſura recudendum proponitur, Reuerendiſſimi D. mei Magiſtri Sac. Pal. Apoſt. iuſſu perlegi, iucundiſſimo ſanè animo, cum nihil in eo repererim ſanæ Doctrinæ, Sacris Canonibus, ſan-

ctiſ-

ctiſque Eccleſię Catholicę Dogmatibus aduerſans;Quin potiùs paſsim occurrit in Auctore demirandum, nullibi hoc tempore, quo quidam arbitrantur obſequium ſe pręſtare Deo, quando illud Poteſtatibus Sæcularibns exhibent, inflecti illius animi robur, quominùs pari conſtantia, ac induſtria opus à ſe aſſumptum ſtrenuè propugnandæ Eccleſiæ libertatis, illuſtret, ſolidetque rationibus è media Theologia, ac vtroq; Iure depromptis, itaut nulla ex parte conuelli, labefactari, aut imminui patiatur: Vndè qui hunc Librum legerit, arbitror, mecum ſentiet, illum eſſe ab omni labe erroris immunem, & nihil eo vtilius excog tari poſſe pro ſeruandis Illęſis Catholicæ Eccleſiæ Iuribus. Ad vberiorem igitur Religionis ſegetem, & ad ampliſſima Pietatis incrementa, publica perennique luce dignum cenſeo. Romæ 26. Maij 1692.

Andreas Pierius S. T. ac I. V. Doctor.

Reimprimatur.

Si videbitur Reuerendiſs. P. Magiſtro Sac. Palatij Apoſt.

Dominicus B. de Bellis Epiſc. Melphicten. Viceſg.

Reimprimatur.

Fr Paulinus Bernardinius Ord. Præd. Sac. Pal. Apoſt. Magiſter.

Digitized by Google

INTRODVCTIO AD CONTROVERSIAM.

SCIS beneuole Lector, per legem Amortizationis nos ſignificare Statutum, vi cuius inhibetur, ne bona immobilia vendi poſſint Corpori perpetuo, Cathedrali vel Collegiatæ Eccleſiæ, Monaſterio, Xenodochio, Confraternitatibus, aut cuicunque demum Collegio Eccleſiaſtico, quin & ipſis Ciuitatibus; ſiue iam cum aliquibus dixeris legem amortizationis ſortiri ſuam ætimologiam; quia bona in ſimilia corpora alienata acquirunt Dominum à morte immunem, qui nunquam moritur; licet enim ſucceſſiuè perſonæ de Collegio moriantur, perſeuerat tamen ius Collegij: Siue dixeris; ideò taliter appellari, quia bona ab eiuſmodi Vniuerſitatibus comparata veniunt in manus mortuas, quæ inſtar manus hominis morientis, tenaciſſimè retinentis, quæ in articulo mortis comprehendit, talia bona ſibi perpetuò retinent, neque vnquam ampliùs ob prohibitam rerum Eccleſiaſticarum alienationem, à ſe dimittunt in manus laicas.

Hæc lex amortizationis partìm hactenus angebat Bauaros, vtpote in quorum Ducatu ſemper

Digitized by Google

vigebat inviolata primæua naturalis libertas bona ſua pro arbitratu ſiue mobilia, ſiue immobilia, ſiue nobilia ſiue ignobilia in quoſuis, vel Sæculares, vel Eccleſiaſticos alienandi; donec hæc libertas aliquo modo reſtringi cæpit per Electorale mandatum ad inſtantiam Nobilitatis, & ex ſuaſu ſuorum editum Anno 1672. 20.die Aprilis à Ferdinando I. dicto Pacifico, inclyto Bauariæ Electore, cuius memoria in benedictione eſt. In illo mandato, puncto 5. Sereniſſimus Princeps ſanciuit, ne poſthac ampliùs bona nobilia in manus non priuilegiatas alienarentur, quod in conſequentiam etiam Eccleſias, Monaſteria & alia pia loca attigit (quamvis eorum expreſſa mentio non fuerit facta) ut neque hiſce liceret ampliùs bona nobilia vendi, cùm non ſint in numero manuum priuilegiatarum. Quin eò maximè decretum reſpexit, quandoquidem potiſſima querela fuit contra Eccleſias & Monaſteria, &c. quaſi hæc plurima bona nobilia compararent, vt patebit ex mox ponenda Diſcuſſione problematica, quam in præſenti diſcutiendam ſuſcipimus. Ex qua etiam diſces, paulò infra medium, quid ſit manus priuilegiata. Nos hic pro meliori informatione damus tenorem puncti quinti ex allegato Electorali mandato. Sic habet.

Vvir ſtatuirn, ordnen vnd befehlen auch hiermit fuxfftens, das nun hinfuran chein adeliche land-gutter, als herrſchafften, hof- Marchen, Siz, vnd ſedel, ohne vnſeren ſpecial befehl, vnd

bev-

bevvilligung per contractus, ſeu actus inter viuos in andere hand, ſollen, mogen oder chundten veralieniert vverden, als vvelche der Edelmanns freyheit fachig ſeyn, auch vvir darſur erchennen vnd noch chunfftig erchennen vverden.

Latino ſonant: Quinto ſtatuimus, ordinamus & præcipimus vt poſt hac nulla bona nobilia, dominia, Hofmarchia, ſedes nobiles, & nobilia prædia ſine noſtro ſpeciali mandato & conſenſu per contractus, ſeù actus inter viuos in alias manus validè poſſint alienari, quam quæ inſtructa ſunt priuilegijs nobilitatis, intelligendo tam manus priuilegiatas, quas de facto pro talibus agnoſcimus quàm quas in poſterum agnoſcemus.

Reclamauit vehementer ſtatus Eccleſiaſticus vtriuſbue Bauariæ huic quinto mandati puncto, quatenus eius extenſio ad Eccleſias & perſonas Eccleſiaſticas erat facienda, aſſerens repugnare illud libertati Eccleſiaſticæ in acquirendo, quam ſanè ſine violatione immunitatis Sæcularis Princeps nec directè nec indirectè reſtringere poſſet: cumque ob hanc cauſam non obſcurè dubitaretur de iuſtitia & valore huius extenſionis, abſtinuit pro ſua in Eccleſiam & Eccleſiaſticos incomparabili obſernantia religioſiſſimus Elector ab executione eiuſdem; ita ut interea temporis Eccleſiæ & Collegia aliquoties, aliæ verò non priuilegiatæ perſonæ, Nobiles, Patritij, Officiales, Mercatores &c. frequenter, emerent ſine obſtaculo bona nobilia, vt omnibus notum eſt.

Caleſcebat nihilominus identidem quaſi ſub cinere animus excludendi Eccleſias ab emptione bonorum nobilium, & continuò magno molimine laboratur pro iuſtificando ſimili decreto. Ipſe verò Illuſtriſſimus Author diſcuſſionis problematicæ, cùm maxima ex parte ſui conſilij eſſet partus dictum mandatum Electorale, ſummopere nitebatur, vt eidem conciliaret valorem ac iuſtitiam. Hinc iam ante duodecim & ampliùs annos, dum ſub alieno, ſed Nobiſſi & Clariſſimo præſidio alteram quinquagenam ſuarum controuerſiarum Canonico legalium in Alma Electorali Vniuerſitate Ingolſtadienſi publicè defendi curaret, volebat hanc vel ſimilem diſcuſſionem eiſdem inſeri, ſed repulſam tulit ab approbante facultate Theologica.

Nuper verò, cùm ad finem anni milleſimi ſexcenteſimi nonageſimi quinti duobus annis poſt obitum Authoris, ſine approbatione Reuerendiſſimi & Celſiſſimi Ordinarij, aut cuiuſdam Catholica Vniuerſitatis (prout in Germania noſtra moris eſt, & conſtitutum in Concilio Lateranenſi ſub Leone X. Seſſ. 10. atque à Deputatione Tridentinæ Synodi ſuper Indicem librorum prohibitorum Reg. 10.) cum approbatione vnius tantummodò privati Theologiæ Lectoris, in publicam lucem prodirent allegati Illuſtriſſimi Authoris commentarij in ius ſtatuarium Bauaricum, ad calcem primi tomi poſita eſt diu cogitata diſcuſſio problematica decantatæ legis Amortizationis.

Argu-

Argumenta, ex quibus contexta eſt, adeò ſplendidam primò intuentibus ſpeciem fecerunt; adeò grauis loquendi modus Illuſtriſſimi Viri, & quondam Cancellarij intimi, multis arriſit, vt de nouo cœperint palàm agitare, vt vrgeretur executio dicti mandati Electoralis, imò extenderetur ad omnia penitùs bona immobilia; quin etiam hæreditatibus & ſucceſſionibus ingredientium Religionem, bonorum capacem, modus ac limes poneretur. Imminente igitur grauiſſimo Eccleſiarum præiudicio, ſi fortè eiuſmodi multorum conſilia, argumentis præfatæ Diſcuſſionis, ceu Delphicis Oraculis nixa, effectum ſortirentur, optarunt pii omnes, maximè Eccleſiaſtici, vt quis in ſe laborem ſuſciperet eneruandi ſæpè dictam Diſcuſſionem, & oſtendendi argumentorum imbecillitatem. Inter alios, quos non dubito pro communi Eccleſiarum cauſa longè vtiliùs (quàm ego poſſim) laborare, etiam mearum partium eſſe duxi, talenta à Deo concredita vſque adeò iuſtæ & piæ cauſæ impendere, ac diſcurſu Theologico Iuridico, non admodum prolixo, claro tamen & ſolido, demonſtrare, multum quidem ſpeciei, parum tamen, aut nihil roboris vel iuris ineſſe rationibus, quibus pauculi propugnatores iuſtitiam & valorem aſſerere conantur legi Amortizationis, quaſue in vnum congeſſit, & propriis adinuentis auxit Illuſtriſſimus Author. Quod eò facilius, DEO opitulante, futurum exiſtimaui, quia in prima examinatione iſtius Diſcuſſionis mox depre-

hendi, fieri aliquoties Sacræ Scripturæ; Authoritatis SS.Patrum, quin & legum ipſarum abuſum; ut ex ſequentibus patebis euidenter.

Ait quidem Illuſtriſſimus Author delicatam eſſe quæſtionem, an liceat tale ſtatutum facere; per quod alienatio bonorum immobilium in Eccleſias, & Eccleſiaſticas perſonas prohibeatur? & iudicium, teſte Peckio, valdè periculoſum: Si enim affirmatiuam defendamus, facilè in libertatem Eccleſiaſticam (cui omnes bonos fauere æquum eſt,) Si negatiuam, in poteſtatem Principis, cui omnes ſubditos diuina lege obedire mandatum eſt, impingemus. Nihil tamen hic formido; cùm probè gnarus ſim, maiorem iniuriam Sereniſſimæ Electorali Domui Bauaricæ, Apoſtolicæ Sedis obſeruantiſſimæ, boni Eccleſiarum ſtudioſiſſimæ, Conſeruatrici immunitatis Clementiſſimæ, fieri non poſſe, quàm ſi quis exiſtimaret; gratam eidem operam præſtari, ſi hoc in puncto veritas cælaretur, aut eidem fucus fieret. Puram, ſinceram veritatem, præcipuè in negotio tam arduo tam periculoſo, attingente libertatem Eccleſiaſticam, pro ſolita teneritudine conſcientiæ ſuæ amant Sereniſſimi Bauariæ Duces. Ille gratior, à quo fertur veritas apertior. Sicut bellica fortitudine, armis, trophæis toto orbe clareſcit Sereniſſimus modernus Elector, MAXIMILIANVS EMANVEL, patriæ noſtræ Pater clementiſſimus, (Cui à DEO longam vitam, perennes victorias, & poſt multa feliciter decurſa ſæcula, beatam immortali-

lita-

litatem ardentiſſimis votis precamur) ita eminet verè Germana fide, & auita in Eccleſias pietate. Cum eius ergò Clementiſſima venia veritatem dicere nullus reformido. De reliquo verò DEI auxilio totus confido, qui ſæpè abſcondit hæc à ſapientibus & prudentibus, & reuelat ea paruulis. *Matth.* 11.

Quod amariſſimam illam Criſin, qua in Diſcuſſione ſua circa finem Illuſtriſſimus Author omnes ſtatus Eccleſiaſticos, ſiue Sæculares, ſiue Regulares, non Mendicantes, atrociter notauit, attinet, eam ideò lubenter prætêrimus, tum quia ſubitò & inconſultò, viro aliàs ſapientiſſimo (quis enim adeò ſapiens, vt ſuos nunquam patiatur manes?) excidiſſe piè credimus, tum, quia nouimus fuiſſe iuſſu Reuerendiſſimi & Celſiſſimi Domini, Domini Ordinarij Friſingenſis expunctam, atque è libero deletam. Nobis in præſenti conſtitutum eſt, vnicum punctum iuris attendere, modeſtiam religioſam ſanctiſſimè obſeruare, atque omni honore & reuerentia Illuſtriſſimi Authoris perſonæ habitis, ſolummodo pondus dictorum, quibus tam multi, ceu irrefragabili evidentiæ, adhærent, examinare.

Vocat quidem diſcuſſionem ſuam problematicam, ſed quoniam vnicè incumbit in ſententiam affirmatiuam ſtabiliendam, nimirum legem Amortizationis licitam ac validam eſſe, quin in fine prò eadem ſententia concludit, non poteſt pro tali agnoſci. Quò autem ſinceriſſimè agamus, totam

Diſcuſſionem, vocatam problematicam, de verbo ad verbum, dictis noſtris præmittimus, cùm ſciamus, non omnibus, ad quorum manus hic noſter Theologico Iuridicus Diſcurſus peruenturus eſt, copiam eſſe Commentariorum Illuſtriſſimi Authoris.

TENOR DISCVSSIONIS,

Quæ immerito problematica aſſeritur

Ad Decantatam.

LEGEM AMORTIZATIONIS.

ETimologiam nominis gramaticis inquirendam, & diſcutiendam relinquimus, nos rem ipſam aggredientes antè omnia præmittimus, hactenùs in Provincijs noſtris Bauaricis cuiuis liberum fuiſſe, ſua bona, tam mobilia, quàm immobilia, quibuſcunque perſonis, Eccleſijs, Monaſterijs, Collegijs, Hoſpitalijs, & Communitatibus, tam per contractus inter viuos, quàm per vltimas voluntates relinquere, exceptis ſolis feudalibus, quæ à multis ſæculis in manus mortuas alienari prohibita fuerunt. Manus mortua autem appellatur quæuis Eccleſia, Ciuitas, Collegium, ſiue aliud quodcunque corpus, vel Eccleſiaſti-

ſticum, vel ſæculare, quod bonorum capax eſt, cùm enim talia corpora non mutentur, licèt omnes perſoue, ex quibus conſtant, rebus humanis eximantur, *l. proponebatur ff. de iud. l. ſicut & §. decum ff. quod cuiuſque vniuerſ. nom. cap. quoniam ext. de offic. deleg.* ideò in curia feudali receptum eſt, vt feuda ad eiuſmodi vniuerſitates non transferantur, cùm Domino omnis ſpes aperturæ præcluderetur.

Sed cùm anno 1671. celebrarentur comitia vniuerſalia ſtatuum noſtrorum Prouincialium, vniuerſa nobilitas (ſub qua etiam Comites & Barones comprehenduntur) grauiter conqueſta eſt, quod Monaſteria, tametſi locupletiſſimè dotata ſint, plurima bona nobilia (quæ Hoffmarchias vocant) ad ſe trahant, &, cùm diuitiis abundent, præ alijs emptoribus pluris licitentur, & vltrà condignam æſtimationem ſoluant. Ideò Sereniſſimum Electorem rogarunt, vt publico ſtatuto caueretur, ne bona nobilia impoſterum in alias, quàm nobilium manus alienarentur. Et hæc alienatio in manus mortuas, amortizatio dicitur, eò quòd talia bona quodammodo mortificentur, cùm Eccleſiæ, Monaſteria, & eiuſmodi corpora, quidquid ſemel acquirant, & in ſuam poteſtatem redigunt, tam firmiter retineant, ſicut manus hominis morientis, quæ id, quod in articulo mortis comprehendit, firmiſſimè concluſum tenet, vt inquit *Petrus Peckius tract. de Amort. bon. cap. 2.*

Quæritur ergò primò, an igitur liceat tale ſtatutum facere, per quod alienatio bonorum immobi-

bi-

bilium in Eccleſias, & Eccleſiaſticas perſonas prohibeatur? Delicata eſt hæc quæſtio, & iudicium ea de re, vt inquit *Peckius loc.cit. cap.6.* valdè periculoſum, ſi enim affirmatiuam defendamus, facilè in libertatem Eccleſiaſticam (cui omnes bonos favere æquum eſt) ſi negatiuam, in poteſtatem Principis, cui omnes ſubditos obedire diuina lege mandatum eſt, impingemus, nos omnia, quę hic dicturi ſumus, iudicio S. Matris Eccleſię ſubijcimus, nec quidquam vel immunitati Eccleſię, vel authoritati Principis derogatum, ſed rem prçcisè problematicè tractatam volumus.

Dicimus itaque, aſſirmatiuam, tale ſtatutum licitum, & validum eſſe, tam probabilitate extrinſeca, quàm probabilitate intrinſeca niti.

Probabilitatem extrinſecam vocamus, quę conſiſtit in authoritate Doctorum. Intrinſecam, quę dependet à rationibus. Quod attinet ad Authores, idem Petrus Pec ius, qui negatiuam opinionem ſequitur, *dict.cap.6.num.1. & 2.* fatetur, quòd ingens interpretum numerus in affirmatiuam conſpiret, ſi igitur duo vel tres claſſici authores ſententiam aliquam probabilem faciunt, quantò magis tantus numerus? Nos tantùm aliquot in teſtes adducimus. Primus eſt Andreas Gaill, Vir maximæ authoritatis, qui *lib.2. Pract. obſ. lib.32. num.5.* Statutum, quo prohibentur ſubditi alienare res immobiles in Eccleſiaſticas perſonas, non eſſe contra libertatem Eccleſiæ, pluribus deducit. Idem dicit *Henricus Zœſinus lib.3. decret. tit.27.*

num.9.

num.9.Caſſaneus in conſuet. Burgu.rub.9. §.10.*n.*52. *Ludouicus Molina de iuſt.& iur.tom.*1.*tract.*2. *diſputat.*140. *num.*18. Et quamuis Diana *tract.*2. *reſolut.*58. miretur, quòd aliquis Ieſuita hanc ſententiam teneat; putamus tamen, eius admirationem non ex improbabilitate huius ſententiæ; ſed potiùs iocandi animo promanaſſe. Videantur etiam *Iacobus de Graſſis lib.*4. *cap.*18. *num.* 233. *Olibanus tract.de iur.fiſc.cap.*7. *num.*31. *Alciatus ad Auth. caſſ. cap.de SS.Eccleſ. Faber ad leg.quoties Signorolus conſ.* 21. *& alii.*

Obijciunt quidem contrariæ ſententiæ authores, Diuum Hieronymum & Ambroſium contrarium docuiſſe, ſed ſi illorum verba penitius inſpiciamus, clarè apparebit, ſanctiſſimos hos duos Viros noſtram ſententiam non improbaſſe. Diui Hieronymi verba *epiſt.*2. *in nepot.* ſunt iſta, *pudet dicere, Sacerdotes idolorum, mimi, auriga, ſcorta, &c. hæreditates capiunt, ſolis Clericis, & Monachis hoc lege prohibetur, non à perſecutoribus, ſed à Principibus Chriſtianis: non de lege conqueror, ſed doleo, cur meruimus hanc legem. Cauterium bonum eſt, ſed quod mihi vulnus, quod indigeam cauterio? Prouida, ſeueraque legis cautio: eſt tamen neceſſe, ut refrenetur auaritia.* Ecce cauterium iuſtum vocat, & de lege non conqueritur, ſi igitur S.Hieronymus hanc legem iniuſtam, illicitam, & immunitati Eccleſiæ contrariam exiſtimaſſet, quis dubitat, quin non adulatus, ſed de ea grauiſſimè conqueſtus eſſet? Cùm ex illius ſcriptis ſatis conſtet, quanta ſemper liberta-

te

te loquendi vſus fuerit. Verba S.Ambroſij, quæ allegat Peckius *in epiſt.ad Valentinum Imperatorem lib.5.* ſequentia ſunt; *ſcribuntur teſtamenta templorum miniſtris, nullus excipitur prophanus, nullus vltimæ conditionis, nullus prodigus verecundiæ, ſoli ex omnibus Clero ius commune clauditur, à quo ſolo pro omnibus votum commune ſuſpicitur, officium commune defertur*. Sed addit idem Ambroſius: *Non enim putamus*, inquit, *iniuriam, quoniam diſpendium non dolemus*: Ex quibus verbis apparet; Diuum Ambroſium excluſionem Cleri à ſucceſſionibus Laicorum non habuiſſe pro iniurioſa. Subnectit vlteriùs Diuus Ambroſius hæc verba, ſola ſublata ſunt prædia, quia non religiosè utebantur ijs, quæ religionis iura defenderent. Notum eſt enim, inquit Peckius, Eccleſiam in hos vſus facultates ſuas ſolùm habuiſſe, vt prima pars daretur Epiſcopo, ſecunda alendis Clericis impenderetur, tertia pauperibus, quarta ſarciendis tectis templorum, quæ diſtribuendi ratio, ſi modeſtè ſanctèque ſeruata fuiſſet, ſi non plerique in omne genus luxus excluſis pauperibus theſauros Eccleſiæ profundiſſent, omnibuſque illis inutiliter eſſent abuſi, fortè nequè tot hoſtes hodie pateretur Eccleſia, neque huiuſmodi legibus diuitiæ, poſſeſſioneſque illius eſſent circũſcriptæ.D.Ambroſius tantus libertatis Eccleſiaſticæ defenſor fuit, vt Theodoſium Imperatorem ab ingreſſu Eccleſiæ prohibere auſus fuerit. Quis igitur dubitare poteſt, ſi hanc legem, quæ iam tempore Theodoſii viguit, iniuſtam & immuni-

nita-

nitatem Eccleſiæ impugnantem cenſuiſſet, quia eidem in faciem reſtitiſſet?

Accedit, quòd hæc lex in plurimis Prouinciis vſu recepta ſit, vt de Gallia teſtatur *Guilielmus Benedictus in capitulo Reynutius verb. vxorem nomine Agelaſiam num.*44. *de diſtrictu Pariſienſi Rebuffus de decim. quæſt.*14. *num.*50. De Germania. *Gail. lib.*2. *obſeru.* 35. *num.*5. de Luſitania *Ludouicus Molina de iuſt.& iur.diſput.*140. *num.*17. de Anglia adhuc Catholica *Petrus Gregor. Toloſanus de rep. lib.*13. *cap.*16. *num.*3. de Mediolano *Signorol. de homod. conſ.*21. De Republica Veneta omnes illi Doctores, qui ſcripſerunt de differentijs inter Paulum V. & eandem Rempublicam præterito ſæculo agitatis. De Auſtriacis Prouincijs nos ipſi teſtes ſumus, & poſſemus in teſtimonium exhibere Cæſareum reſcriptum.

Certè hæc lex ab ipſo DEO fundata eſſe videtur, cùm *Deut. cap.*18. ſtatuit nt Sacerdotes & Leuitæ, ac omnes, qui de eadem tribu ſunt, partem, & hæreditatem cum reliquo Iſrael non habeant, quia, vt ſacer textus inquit, Sacrificia Domini, & oblationes eius comedunt, & proinde nihil accipiunt de poſſeſſione fratrum ſuorum, Dominus enim ipſe eſt hæreditas eorum. Et hanc ipſam conſuetudinem, ſiuè legem ſatis approbare videntur Domini de Rota *deciſ.*1. *in tit. de conſuet. antiquis*: incipit *ſuppoſita conſuetudine*, vbi dicunt, quod, ſi conſuetudo excludat à bonis paternis profeſſum, ſi apoſtatando exeat Monaſterium,

Digitized by Google

rium, & de facto matrimonium contrahat, adhuc maneat ad ſuccedendum inhabilis virtute dictæ conſuetudinis, quibus verbis præſupponunt, talem conſuetudinem validam eſſe. Certè tot Regnorum, & Prouinciarum ſtatuta, leges, & conſuetudines improbare, & vtvitioſas damnare, nobis videtur eſſe nimis præſumptuoſum.

Quæritur ſecundò, quid requiratur ad eiuſmodi ſtatutum. & quomodò intelligatur *c. ſ. in 6. de Immunitate Eccleſiaſtica*? Antequam procedamus ad confirmandam probabilitatem intrinſecam huius ſententiæ per rationes efficaces neceſſarium ducimus præmittere, quod noſtra intentio non ſit, tale ſtatutum approbandi, ſi prçcisè, directè, & principaliter tendat in odium ſtatus Eccleſiaſtici, ſed in eo tantum caſu, quando ſtatutum principaliter concernit vtilitatem publicam, tam etſi per conſequentiam ſtatui Eccleſiaſtico in acquirendis, non acquiſitis, aliquale prçiudicium pariat, ſic loquitur. A*ndr. Gail. d. obſeru. 32. n. 5.* ſi mens, inquit, atque intentio ſtatuentium rectè conſideretur, planè perſpicuum erit, huiuſmodi ſtatuta non adeò eſſe exorbitantia, neque contrà libertatem Eccleſiaſticam, ſed magis ad publicam vtilitatem, vbi citat S*ignorol. de homod. conſ. 21. n. 19.* docentem, quod diſpoſitio illa non ſit cenſenda contra libertatem Eccleſiæ, cuius authoritate grauatur perſona Eccleſiaſtica, publica vtilitate hoc exigente, addit Gail, *imò non grauatur perſona Eccleſiaſtica, ſed potiùs poteſtas ſubditorum ſæcularium*

limi-

limitatur, multa enim ob neceſſitatem publicam vel fauorem Reipublicæ conceduntur, quæ aliàs non concederentur. Certè, cùm Eccleſia & Reſpublica pari paſſu ambulare, & eodem fauore gaudere dicantur. *Barboſa de Axiom. l.5. cap.11. num.6.auth. ſi minus C. de SS.Eccleſ.* & ijſdem priuilegijs vti. *Oldendorpius lib.1.conſ. Marburg.5. n.9.* non poterunt ſtatus Eccleſiaſtici in acquiſitione bonorum immobilium prætendere contra Rempublicam aliquod priuilegium, quæ pariter priuilegiata eſt, præſertim, cùm Reſpublica certet de damno vitando, & Eccleſia de lucro captando. *Barboſa lib.14.cap.83. num.26. Couarruuias in regul. poſſ.par.2.num.4.ad cap.fin. in 6.* Ad prætenſam læſionem de immunitate Eccleſiaſtica facilis eſt reſponſio, audiamus enim verba dicti capituli, *eos,* inquit Pontifex, *qui temporale Dominium obtinentes ſuis ſubditis, ne Prælatis, & Clericis, ſeu perſonis Eccleſiaſticis quidquam vendant, aut emant aliquid ab ijſdem, neque ipſis bladum molant, coquant panem, aut alia obſequia præſtare præſumant, aliquando interdicunt (cùm talia in derogationem libertatis Eccleſiaſticæ præſumantur) eo ipſo excommunicationis ſententiæ ſubiacere decernimus.* Tametſi igitur textus huius capituli, quem contrariæ ſententiæ authores fortiter ſtringunt, eos excommunicationi ſubijciat, qui poteſtate ſæcnlari contractum emptionis & venditionis cum Clericis, & Eccleſiaſticis perſonis inhibent, manifeſtè tamen apparet, quòd hic Canon tantùm de ijs agat, qui hoc faciunt in odium Eccle-

Eccleſiaſtici ſtatus. Probamus id ex verbis Canonis (cùm talia in derogationem libertatis Eccleſiaſticæ præſumantur) non id dicit Summus Pontifex quòd ſint, quaſi velit dicere, talis prohibitio ex ſe quidem non eſt contra libertatem Eccleſiæ, ſed præſumitur ex fine, & intentione prohibentium, quod ut meliùs intelligatur, ex duobus capitulis præcedentibus ſupponendum eſt, Bonifacium VIII. exceſſus Laicorum improbare, qui Clericis collectas, talias, & alia onera imponebant, & qui perſonas Eccleſiaſticas ad ſuum forum trahere volebant, ſed, cùm aliqui Domini temporales tanta iniquitate, & odio in Eccleſiaſticos ſæuirent, prohibendo, vt illis nec quidquam à ſæcularibus pręſtetur, non molatur, non panis coquatur, nihil vendatur, nec ſutores, nec pilarii, nec carpentarii, aut alii opifices pro ipſis laborent, Summo Pontifici viſum fuit, hanc violentiam per dictum *Canon. in cap.6.* ſententia excommunicationis reprimere: Et quòd hoc ſit verus ſenſus dicti capituli, apparet ex caſu, quem gloſſa marginalis ponit in his verbis; dictum fuit ſuprà, quòd Laici non poſſunt compellere Clericos ad ſoluendum talias, ſiue collectas, & quòd non poſſint compellere Laicos ad litigandum coram eis, ſi velint litigare coram Iudice Eccleſiaſtico, ſed tamen actor vult litigare, & cauſa eſt Eccleſiaſtica, vel etiam mixta. Sed quid? ſunt aliqui Domini temporales, qui inhibent ſubditis ſuis, vt ſunt ſartores, carpentarij, pilarij, & alij mechanici, vt non

fa-

Digitized by Google

faciant obſequia Clericis, niſi ipſi Clerici velint contribuere ad talias,& ſic indirectè cõpellunt clericos ad ſoluendas talias, nam ſine obſequiis illorum Clerici non poſſunt viuere, vtrùm ſint puniendi aliquą pœna? Reſpondetur, quòd ſic: nam ipſo facto ſunt excõmunicati.Ex quo caſu gloſſæ manifeſtè conſtat, pœnam excommunicationis prohibentibus infligi ob odium, quod erga Clerum gerant, & vt eiuſmodi repreſſalijs iniuſtis, iniuſtas ſuas exactiones violenter extorqueant, quod in noſtro ſtatuto locum non habet, cùm illud in odium Cleri necquaquam fiat, ſed in vtilitatem Reipublicæ & ad ſplendorem Principis terræ, prout verba ſonant dicti mandati 20. Aprilis anno 1672. publicati, ubi Princeps inquit, cùm in noſtris Prouincijs pro ſalute Reipublicæ inter cętera ra hoc etiam ſingulariter requiratur, vt nobilitas in bono flore, & vigore conſeruetur, & ad maius incrementum deducatur,qua nos & ſucceſſores noſtri Electorales non tantùm tempore pacis ſed etiam belli pro aulicis noſtris, & alijs ſeruitiis cum reputatione vti poſſumus &c. Ecce, quòd hic tres allegentur honeſtiſſimæ cauſæ huius conſtitutionis, ſcilicèt bonum publicum, conſeruatio nobilitatis & Principis ſeruitia belli, paciſque tempore, non odium in Eccleſias, & perſonas Eccleſiaſticas: & quis credat, ſi ſæpè dictus Canon tam nudè & crudè eſſet intelligendus, prout à contrariæ ſententiæ aſſertoribus intenditur, quòd Eccleſia DEI tot Prouinciarum, & Regnorum, vt ſuprà

Digitized by Google

allegavimus, pro Amortizationis lege facta ſtatuta, & introductas conſuetudines in præſentem vſque diem toleraret?

Meminimus, aliquando in conſilijs propoſitum eſſe, cùm plurimi malefactores ad Eccleſiaſticam immunitatem apud Patres Franciſcanos confugerent, & cum reipubl. aliquo damno ſe debitis pęnis ſubtraherent, an non prohibitio fieri poſsit, ne eleemosynæ ad Monaſteria reformatorum tam diu admittantur, donec eiuſmodi malefactores dimittant? Sed cùm talis prohibitio principaliter in odium Eccleſiaſticæ immunitatis localis tendat, animosè concluſum eſt, illam omninò illicitam, & inualidam eſſe, cum præiudicium, & damnum Reipublicæ exigui momenti ſit nec tantum operari poſsit, vt perſonis innocentibus propterea alimenta præcludi potuerint.

Quæritur tertiò, quomodo monſtretur probabilitas intrinſeca huius ſententiæ? Et reſpondemus quod probabilitas intrinſeca conſiſtat in rationibus efficacibus, & conuincentibus. Prima igitur noſtra ratio eſt iſta, quod ſtatutum, quo ſubditis prohibetur alienatio immobilium in Eccleſiaſticos, omninò non ſit contra Eccleſiaſticam libertatem, quod ſic probamus. Immunitas Eccleſiaſtica, conſiſtit in duobus capitibus; Prima pars eſt, vt perſonæ & res Eccleſiaſticæ ſint ab omnibus impoſitionibus, & oneribus ſæcularium tam realibus, quam perſonalibus liberę, & immunes, & vt ad Eccleſias, & Cęmeteria confugientibus illuc

præ-

præſtent asylum, quæ dicitur immunitas localis; Altera pars ſpectat ad iudicium, ne ſcilicet perſonæ Eccleſiaſticæ ad tribunal ſæculare trahantur, & in his duobus capitibus conſiſtit tota latitudo Eccleſiaſticæ immunitatis ita pulchrè Gothofredus. Tenentur igitur Clerici ad omnia alia, quæ cum prædicta libertate non pugnant, ſcilicet, quæ nec ad gabellas, nec ad ſeruitia perſonalia, nec ad ſæculare forum Eccleſiaſticos cogunt, videatur *Molina tom.2.tract.2.diſput.*13. *num.*15. *Diana p.*1. *tract.*2.*reſolut.*8. Audiamus igitur nunc argumentum; Immunitas Eccleſiaſtica in hoc conſiſtit, vt Eccleſiaſtici liberi ſint à gabellis, & impoſitionibus Principum, ab oneribus, & ſeruitijs perſonalibus & realibus, à foro, & tribunalibus ſæcularibus, & vt confugientes ad Eccleſias ab extractione ſæcularium iudicum immunes ſint: Sed ſtatuta, & conſtitutiones, ac conſuetudines, quibus ſubditis prohibetur alienatio immobilium in Eccleſiaſticos, nec cogunt eos ad gabellas, talias, aut alia onera, nec imponunt ſeruitium perſonale, nec trahunt ad forum ſæculare, nec Eccleſiarum aſylum violant, ergo non pugnant cum Eccleſiæ libertate, quod argumentum videtur eſſe efficaciſſimum: Si certè conſideremus hanc prohibitionem, illa potiùs concernit libertatem publicam quàm Eccleſiaſticam, cùm de iure naturæ cuilibet liberum ſit, de rebus ſuis diſponere, & eas in quoſcunque alienare. Videatur *Caietanus in ſua ſumma cap.*33. vbi ad verba ſæpè citati Canonis notari iubet, quòd

Digitized by Google

iſta propriè non ſint contra libertatem Eccleſiaſticam, ſed contra humanam ſocietatem: concordat *Nauarrus cap.27.num.*119. vbi dicit, quòd non ſufficiat, aliquid eſſe contra ſocietatem humanam, vt dicatur eſſe contra libertatem Eccleſiæ, vnde non dicitur, quòd ſtatuere, ne Laici coquant, molant, aut vendant Clericis panem, ſit contra libertatem Eccleſiæ, ſed quòd præſumatur, ſupple ex gloſſæ caſu, quem ſupra allegauimus, quia hoc modo intendunt Clericos cogere ad Gabellas, & talias, quod ſimpliciter eſt in odium libertatis Eccleſiaſticæ, aliud de noſtris conſtitutionibus dicendum eſt, vtpote quarum finis eſt ſalus publica, notabilitatis incrementum, & Principum ſplendor, & gloria.

Secunda ratio eſt: Poteſt Princeps rebus immobilibus ſubditorum leges præſcribere, quaſcunque vult, Doctores ad legem *an in totum, & ibi Cuiacius de Iud.priu.*

Tertiò poteſt conſuetudo res aliquas commercio hominum eximere *leg.*34. §. *omnium rerum ff. de contrah.empt.*

Quartò poſſunt priuati cauere paciſcendo, ne bona ſua alienentur in Eccleſiaſticos, *Gloſſa & DD. in leg.fin.C.de Iur.emphit. Gloſſa, Abbas, & alij Canoniſtæ in cap.potuit ext.de locato*: cur igitur hoc non multò magis fieri poteſt per legem publicam, aut ſtatutum Principis? *Bartol.in leg.alia* §.*eleganter num.*12.*ff.ſol.matrim. Iaſon. in leg. non impoſſibile num.*1.*&* 7.*ff.de pact.* videatur etiam *Baldus in cap.*

quæ

Digitized by Google

quæ in Eccleſ.num.8. extra de conſtit. vbi dicit, quòd Laicis licet defendere iuriſdictionem ad vtilitatem publicam, non quidem in acquiſitis Eccleſiæ, ſed in acquirendis, tametſi Clerici qnibuſdam commoditatibus priuentur, cùm Eccleſia fundata non ſit in bonorum poſſeſſione, ſed in contemptu temporalium, dicentibus diſcipulis, ecce nos reliquimus omnia. *Matth. cap.*10. *v.*27.

Quintò licitiſſimum eſt ſtatutum, ne cuiuſuis generis merces exportentur è Prouincia, vel inferantur, & ſicuti talis conſtitutio non eſt contra immunitatem, & libertatem Eccleſiaſticam, & etiam Clericos externos excludit, qui tamen Principi terræ minùs ſubiecti ſunt, quàm Clerici ſuæ Prouinciæ, qui tanquam pars Reipubl. eiuſmodi conſtitutionibus, ſi non vi coactiua, ſaltem directiua ſubiecti ſunt, ita nec noſtrum ſtatutum contrarium eſſe poteſt.

Sextò alienatio rei dotalis prohibita ſtatuto aut lege ciuili extendit ſe etiam ad Clericos, cum hoc ſtatuto mulier inhabilitetur ad alienandum, vnde ne quidem naturalis obligatio oritur, *l.non dub. §. nullum C. de leg. Panormitanus ad cap. quod Clericis num.*26. 30.*& ſeqq.extrà de ſor.comp.* Si igitur hoc ſit fauore mulierum, ut illis dotes ſuæ conſeruentur, quare non fauore boni publici prohibito fieri poſſit? benè enim conſiderat *Signorol. de homod. conſ.*21. *num.*13. talia ſtatuta non attingere Clericos, ſed ſolummodò limitare poteſtatem ſub-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE
Digitized by Google

ſubditorum Laicorum, qua limitatione nulla iniuria fit Eccleſiaſticis.

Septimò quilibet teſtator poteſt repellere hæredem à ſua hæreditate, ſi in Monaſterium ingrediatur, & Monachus fiat, ad hunc finem, vt bona conſeruentur in ſua familia, *Couarruuias, & alij ab eo citati var. reſol.l.1.cap.19.num.8. & 11. Card. Mant.de coniect.vltim. volunt. lib.11. tit.7.num.18.* Cur igitur non liceat Principi, aut Reipnbl. hoc idem ad conſeruationem tot familiarum illuſtrium quarum opes plurimum attritæ ſunt, ſtatuere? à viris fide dignis percipimus, tametſi hactenus ſi non dimidia, ſaltem tertia pars bonorum immobilium, à Monaſterijs Collegiatis, & alijs Eccleſijs, Confraternitatibus, Hoſpitalijs, Clericis, & Beneficiatis in tota Prouincia poſſideatur, quod tamen hoc ſolo ſæculo nondum decurſo inter calamitoſa belli tempora vltra ſeptuaginta nobilia bona (quæ Hofmarchias dicunt) ad ejuſmodi pia loca, & in manus mortuas deuenerint, prout in Comitijs vniuerſalibus anno 1671. celebratis Eccleſiaſticis vix videbatur credibile, quis nunc igitur dubitet, quin nunc ſplendori Principis, & ſeruitijs eius aulicis ac militaribus in tanta nobilitatis ruina plurimum deceſſerit? Ratio autem, quare his belli temporibus potius nobilitas, quam Monaſteria depauperata ſint, manifeſta eſt, facilius enim fuit Monaſterijs, poſt deuaſtationes militares illata damna reſarcire, quam nobilibus, vtpo-

te cùm Prælati quoſdam ex Conuentualibus ad Parochias exponere, quoſdam ad alia loca dimittere, & in locum defunctorum nullos alios ſubſtituere, denique etiam familiam domeſticam, & œconomicam diminuere potuerint, cùm Nobiles è contra vxores ſuas, liberos, & domeſtica famulitia pro ſtatu ſuo illuſtri vel nobili neceſſaria, nolentes, volentes retinere, &, cùm reditus bonorum deficerent, contracto ęre alieno alere debuerint, à quo cùm ſe poſtea liberare nequiuerint, flebile, & miſerabile ceſſionis beneficium ſubire, & pati coacti ſint, vt bona ſua haſtæ ſubijcerentur, & ad manus mortuas deuenirent.

Si quis opponat, Principis propterea nihil intereſſe, quod bona nobilia ab Eccleſiaſticis compararentur, cùm notiſſima ſit conſuetudo (melius diceret abuſus) noſtræ Prouincię, ut bona tranſeant cum onere ſuo, itaut Eccleſiaſtici non minus, quam ſæculares de talibus bonis nobilibus Principi ſteuras, & collectas ſoluere, aliaſque impoſitiones ſubire debeāt (quo tamen iure id fuerit introductum ignoratur.) Reſpondemus, quod ſe tamen ſubtrahant oneribus, & ſeruitijs perſonalibus maximè militaribus, nam guerræ tempore, quando euocatur nobilitas pro defenſione Patriæ, Eccleſiaſtici incapaces ſunt ad equeſtria ſeruitia pręſtanda; nec ſe ſæcularibus negotijs, & miniſterijs aulicis implicare poſſunt, qui militant Deo, vt proindè iuſtiſſima cauſa ſit eos, à comparatione talium bonorum, quorum poſſeſſoribus eiuſmodi ſeruitia perſo-

Digitized by Google

nalia incumbunt, repellendi.

Octauo Clerici in feudis, vt iam ſupra diximus nullo modo ſuccedunt. *Schraderus in tract. feud. tom.5.cap.5.num.30.Mynſ.cent.5: obſeru.48. num.1. Clar.ſentent.lib.4.§.feudum quæſt.78.num.3. Menoch. de arbitr.iud.quæſt.lib.2. cent.3. caſ.231. num.1. Roſenthal.cap.7. concluſ.29.num.1 & alij*, ob rationem, quia ſeruitia feudalia præſtare non poſſunt, cùm deſinat eſſe miles ſæculi, qui factus eſt miles Chriſti: cùm igitur bona nobilia ex conſuetudine Patriæ noſtræ hoc onus annexum habeant, vt poſſeſſores tempore guerræ ad defendendum Principem, & patriam comparere debeant, vel etiam in alijs ſolennitatibus Principem comitati, non eſt mirum, ſi eorum prædiorum alienatio in tales perſonas prohibeatur, quæ nec Reipublicæ, nec ſplendori Principis ſeruire poſſunt.

Nonò communis eſt ſententia apud Doctores, quòd, ſi res emphiteutica titulo legati, vel ſimili deueniat ad Eccleſiam, vel perſonam Eccleſiaſticam, teneantur intra certum terminum ponere extrà manus ſuas, vendendo in manus alicuius laici, ne conditio Domini directi fiat deterior. *Caſſaneus rub.9.num.53.& 54.Molina loco ſæpè citato*, vbi dicit, obſerua tamen, emphiteuſin, tàm Eccleſiaſticam, quàm ſæcularem tranſire quidem ad Monaſteria, ſed cum hoc gravamine vt Monaſterium teneatur eam alienare à ſe, vel venditione, vel commutatione, vel quacunque alia ratione, vel quacunque alia ratione, tranferreque in perſonam, quæ

non

non ſit magis priuilegiata , quàm ea , quæ illam prius habebat , cùm multò deterior redderetur cauſa proprietarii, ſi emphiteuſis tranſiret in perſonam priuilegiatam , & in ſpecie in religionem, quod idem affirmat *Iul.Clar.lib.ſent.* §. *emphyteuſis quæſt.*22.& ſententiam communem vocat . Si proinde unius priuati hominis fauor tantus eſt,vt per alienationes rerum iure feudali vel emphiteutico ad ſe pertinentium cauſa deterior fieri non debeat,cur non reipubl. & Principis fauor excludere poſſit Eccleſiaſticas perſonas ab acquiſitione bonorum nobilium cum tanto ſuo detrimento , de quo jam latiùs diſputauimus.

Quàm cautè & religiosè verò Sereniſſimus Legislator noſter in hac ſua Conſtitutione Prouinciali proceſſerit , ſequentia demonſtrabunt . Inprimis enim in toto contextu huius ſtatuti de prohibita alienatione in Monaſteria, Eccleſias, aut Eccleſiaſticas perſonas ne verbo quidem mentio fit , ſed ſolummodò hoc diſponitur , ne bona nobilia , *als herrſchafften , hofmarchen , Sit , vnde ſedel* poſſint impoſterum ampliùs in manus ignobiles , vel non priuilegiatas , *in vnbefreyte hand* alienari ; vt igitur appareat, quid intelligatur ſub hoc verbo *die handveſt oder frey brieff* ſciendum eſt, nobilitatem Bauaricam,ſub qua,vt diximus, Comites etiam & Barones comprehenpuntur , à Principibus terræ impetraſſe ſexaginta quatuor litteras ſiue priuilegia, quas vocant

in quibus 42. priuilegiati articuli conti-

nen-

nentur, non omni nobilitati, ſed ijs tantùm competentes, qui ab antiquis illis familijs deſcendunt, quæ vel propter ſeruitia ſua militaria, vel aulica, prædicta priuilegia meruerunt, vel quibus ea à Principibus ex ſpeciali gratia nouiter communicata ſunt. Inter hæc priuilegia principaliſſima ſunt Ottonis Regis Hungariæ, & Alberti III. quorum primum omnibus ſtatibus iuriſdictionem baſſam, in Hofmarchijs, & eiuſmodi bonis nobilibus in toto aliquo corpore, & uniuerſitate quadam conſiſtentibus participat. Alterum priuilegium ex conceſſione Alberti ſolum competit nobilitati priuilegiatæ, vi cuius iuriſdictionem baſſam obtinuerunt etiam in prædijs ſeparatis ſparſim hinc & inde in præfecturis Principum ſitis, *auf die einſchichtigen guettern* horum igitur nobilium manus vocantur paiuilegiatæ, reliquarum verò omnium perſonarum, tàm Eccleſiaſticarum, quàm ſæcularium, nobilium, & ignobilium, dicuntur non priuilegiatæ, *vnbefreute hand* dum proinde Sereniſſimus Legislator in ſua noua conſtitutione cauit, ne bona nobilia ampliùs in manus non priuilegiatas alienarentur, Clericos, & perſonas Eccleſiaſticas non directò & principaliter, ſed per indirectum, & in conſequentiam excluſit: & hæc lex tam parùm prohibita eſt, quàm parùm illa, quæ, dum omnes mulieres ab hæreditatibus immobilium extantibus maſculis ſubmouet, etiam hoc ipſo moniales comprehendit. *Gail. dict. obſeru. 32. num. 4. ad finem*. Eſt enim tale ſtatutum mixtum,

ad

ad quod ex communi Doctorum conſenſu etiam perſonæ Eccleſiaſticę obligantur. *Caſſaneus dict. leg. num.* 53. vbi dicit, quòd iſta doctrina ſit communis omnium Doctorum *ad auth. caſſa C. de SS. Eccleſ. & ad cap. Eccleſia S. Mariæ de Conſt.* Et quamuis Petrus PecKius eiuſmodi ſtatutis acerrimè contradicat, videtur tamen *dict. cap* 6. *num.* 3. *circa fin.* hoc ſolum improbare, quando Eccleſia ſola (notetur verbum *ſola*) à comparatione honorum immobilium excluditur, non quando etiam ipſi laici, & quidem ex maxima parte ſimul cum Clericis excluduntur. Quo etiam tendunt D. Hieronymi, & Ambroſij querelæ ex verbis ſupra citatis. D. Hieronymi ita ſonant, *pudet dicere, Sacerdetes Idolorum, Mimi, Aurigæ, Scorta &c. hæreditates capiunt, ſolis Clericis & Monachis hoc lege prohibetur*. Et D. Ambroſius inquit, *ſcribuntur Teſtamenta templorum miniſtris, nullus excipitur prophanus, nullus vltimæ conditionis &c. Soli ex omnibus Clero Ius commune clauditur*, vbi iterum notanda ſunt duo verba *Solis*, & *Soli*, quę ad noſtram conſtitutionem applicari non poſſunt, cùm illa non ſolos Clericos, aut perſonas Eccleſiaſticas à comparatione bonorum immobilium, ſed infinitam multitudinem laicorum, non mimos, non aurigas, non ſcorta, non vltimę conditionis, aut prodigos ſolùm, ſed etiam nobiles priuilegiorum incapaces, officiales Principum, municipalium Ciuitatum Magiſtratus, & decuriones, opulentiſſimos mercatores, & honeſtiſſimos quoſque proprijs reditibus viuentes, cum vniuerſa

ple-

plebe, & vulgo excludat, & hoc fauore reipublicæ, cuius intereſt, antiquam nobilitatem, vti iam ſæpiùs dictum eſt, in ſuo ſplendore conſeruare.

Alterum ſpeciale ex hac conſtitutione notandum eſt, quòd non omnium immobilium alienatio in manus non priuilegiatas prohibita ſit, ſed tantum bonorum nobilium manet igitur tam Clericis, quàm Eccleſiaſticis perſonis pleniſſima libertas comparandi ſibi bona, & prædia ruſtica, aut urbana, ex quibus ſubinde maiorem quæſtum, quàm ex bonis nobilibus trahere poſſunt, quid igitur cauſæ eſt, quòd nobilitati priuilegiatæ conſeruationem ſuorum nobilium prędiorum, & corporum inuideant?

Tertia ſpecialis ratio eſt, quòd non ſimpliciter prohibeatur comparatio nobilium bonorum perſonis non priuilegiatis, ſed tantum, ne comparatio fiat ſine ſpeciali conſenſu Principis terrę, vt ſemper principibus integrum maneat, zœnobijs depauperatis & inſufficienter dotatis, ex auito pietatis zelo per præſtationem conſenſus ſuccurrere, prout à die publicati ſtatuti, id ſępius laudabiliter factum eſſe meminimus.

Quarta ſpecialitas in hoc conſiſtit, quòd alienatio bonorum immobilium in manus non priuilegiatas, & proinde etiam in Eccleſiaſticas tantum interdicatur per actus inter viuos, non etiam per vltimas voluntates, & proinde latiſſimus, & ſpacioſiſſimus adhuc campus ſuperſit, ad acqiſitionem talium bonorum deueniendi, ratio autem, cur alie-

alienatio per contractus inter viuos, & non per vltimas voluntates prohibita ſit, fortè iſta eſt, quòd refrigeſcente his temporibus illo feruore, quem progenitores noſtri pro ditandis Monaſterijs & Eccleſijs habuerunt, nullum ampliùs periculnm ſit, eiuſmodi bona, vtpote multùm pretioſa titulo gratuito in Eccleſiaſticos deriuandi, ſicut tamen periculum eſt venditionis, permutationis, & aliorum inter viuos, cùm cœnobia diuitiis abundantia, vt dictum, præ laicis venditoribus auctius pretium offerre poſſint. Fruſtra igitur irridetur Molina à quodam defenſore immunitatis Eccleſiaſticæ, dum lepidum eſſe cenſet, laicis venditiones bonorum immobilium in Eccleſiaſticos prohibere & non donationes, cùm homines faciliores ſint ad ſua titulo oneroſo, quàm gratuito in alienas manus deferenda, Iura autem ijs magis reſiſtunt, ad quæ homines proniores ſunt.

Quæritur quartò, quid Iura Ciuilia circa iſtam materiam diſponant? Et nobis quidem non eſt animus, omnia Iura latiùs examinandi, quæ in toto corpore Iuris maxime ſub Tit. C. de SS. Eccleſ. continentur, ſed ſufficit nobis legem 1. *&* *Auth. caſſa.* qui duo textus à contrariæ ſententiæ authoribus principaliter allegantur, penitùs inſpicere, *in dict. leg.* 1. ait Conſtantinus Imperator, *habeat vnuſquiſque licentiam ſanctiſſimo Catholico, venerabilique concilio decedens bonorum, quod optauerit, relinquere, & non ſint caſſa eius &c.* ad quem textum intelligendum ſcire neceſſe eſt, quòd ante

Con-

Conſtantinum M. Ethnici Imperatores Collegia Chriſtianorum iudicauerint illicita, ita, vt nec legata, nec hæreditates ipſis relinqui potuerint, fuit igitur iſta permiſſio ſummoperè vtilis, & neceſſaria, cùm illo tempore Eccleſiæ regerentur iuxta inſtitutionem Apoſtolorum, & illa, quæ offerebantur, Eccleſiaſtici recipiebantur inſtar ſtomachi, qui ciborum partem minimam ſibi retinet, maiorem verò in cætera membra indigentia diſtribuit. Eccleſiaſtici enim illi, quamuis multa poſſidentes, pauca tamen quoad vitam, & veſtitum ſibi retinebant, reliquum verò in Eleemoſynas diſtribuebant, quæ cauſa fuit, vt bona eorum cumularentur, quorum illi, quaſi procuratores commune Chriſtianorum, & publicum bonum, & præſertim curam pauperum gerebant, & communibus neceſſitatibus opitulabantur, quàmprimùm autem ſubſequentibus annis pia illa conſuetudo abolita fuit, ſibi retinentibus Eccleſiaſticis bona in ſe, & Eccleſias delata, adeò facultates illarum creuerunt, vt nulla earum cum reliquo Reipubl. corpore proportio videretur, & propterea ad debitam menſuram meritò redigendæ, quemadmodùm etiam publicis legibus redactæ ſunt, centeſimo enim circiter anno poſt factam illam Conſtantini M. licentiam Imperator Arcadius publico edicto prohibuit, Eccleſijs quidquam relinquere. *leg.*20.*& leg.*27.*C.Theod.de SS.Eccl.*quas leges imitatus videtur Iuſtinianus *in leg.*20. *C.de SS.Eccleſ.* ad exemplum Moyſis, de quo *Exod. cap.*36. legitur,

tur, cùm auro, gemmis, & varijs pretioſis ad conficiendum Tabernaculum indigeret, & populus plus offerret, quàm neceſſarium eſſet, iuſſit præconis voce cantari, ne quidquam offerretur vltra in opere ſanctuarij: (*Sequentia verba, vſque*: Si dicas &c. *tanquam iniurioſa ſtatibus Eccleſiaſticis, non mendicantibus, fuerunt authoritate Celſiſſimi Ordinarij expuncta)* Toleranda ſanè eſſet Eccleſiaſticorum abundantia, ſi largę in pauperes eleemoſynæ, vel aliquid pietatis, inſtructionis, & boni exempli in laicos inde redundaret, ſed longa experientia didicimus, quòd mendicantium bonorumque incapaces ordines Reipublicæ Chriſtianæ, & animarum ſaluti vtiliores ſint, quàm opulenti aliquot ordines (ſed patrès Societatis excipiamus, qui in Vinea Domini excolenda ſtrenuam, & indefeſſam operam pręſtant) qui magis quętunt, quę ſua ſunt, quàm quę Chriſti ſunt.

Si dicas, quod allegatæ conſtitutiones Arcadij per authenticam Friderici correctę ſint. Reſpondemus primò quod illa authentica tantum loquatur de Italia, ſic enim inquit textus: *Caſſa, & irrita eſſe denunciari per totam Italiam præcipimus omnia ſtatuta, & conſuetudines contra libertatem Eccleſiæ eiuſque perſonas inductas aduerſus Canonicas, & Imperiales ſanctiones.* Secundò iſta authentica caſſat, & irritat tantum iſta ſtatuta, & conſuetudines, quę ſunt contra libertatem Eccleſiæ, ſed ſupra fuſiſſimè demonſtrauimus, quod tale ſtatutum, de quo nobis ſermo eſt, non ſit contra libertatem Eccleſiæ,

pro-

prout etiam fatetur ipſe *Pechius d.l.num.4.* ergo de iſto ſtatuto authentica *caſſa* intelligi non poteſt.

Tertiò caſſantur tantum ſtatuta, & conſuetudines, quæ ſunt contra Canonicas, & Imperiales conſtitutiones, ſed, vt modo diximus, noſtrum ſtatutum non eſt contra: ſed potius ſecundum conſtitutiones Imperiales Arcadij ſcilicet *in l. 20. & 27. C.Theod. de SS. Eccleſ.* Denique non eſt, vt multum curemus antiquas iſtas leges, cum cuilibet Principi ius ſuprematus in ſuo territorio competat; liberumque ſit, antiquas illas conſtitutiones per nouas abrogare, præſuppoſito, quod libertati Eccleſiaſticę contrariæ non ſint.

Illud nobis videtur ridiculum, quod aliquis ex defenſoribus contrariæ ſententiæ aſſerere auſus fuerit, propterea ſtatutum noſtrum Bauaricum eſſe prorſus inualidum, quod Eccleſiaſtici ius comparandi prædia nobilia per multorum ſęculorum vſum præſcripſerint, quaſi verò præſcriptio in actibus meræ facultatis, vel voluntatis locum habeat, aut conſuetudo in his introduci poſſit, quæ hactenus dependerunt ex libero cuiuſuis arbitrio, contra *l.1. C.de ſeruit. & aq. l.2. C.quæ ſit long.conſ. l.ſicut 3. de præſcript. 30.* An præſertim cum hactenus ex parte Eccleſiaſticorum nulla prohibitio, & ex parte Laicorum, aut Principis nulla patientia, aut acquieſcentia acceſſerit, certè, ſi ſupponeremus, eiuſmodi præſcriptam conſuetudinem hactenus in Bauaria viguiſſe, potuit Princeps eam in ſuo territorio eadem libertate licitè tollere, qua

Fri-

Digitized by Google

Fridericus per authenticam *caſſa*, quaſdam conſuetudines in Italia ſuſtulit.

Quęritur quintò, an regula iuris, *quod quiſque iuris in alterum ſtatuerit &c.* ad iuſtificandum tale ſtatutum rectè allegetur? Reſpondemus: Multi Doctores, qui huiuſmodi leges, conſtitutiones, & conſuetudines defendunt, hanc æquitatis rationem ſummoperè vrgere, quæ deſumitur ex *Tit. ff. quod quiſque iuris &c.* vt nimirum id, quod quis in ſe æquum iudicat, in alio quoque iuſtum, & æquum iudicare debeat, ſed Eccleſiaſtici hoc ius habent, vt id, quod à Laicis acquiſiuerunt, aut aliundè habent, non poſſunt iterum in laicos alienare, quomodò igitur iniquum dicent, ſi Princeps laicus pro bono ſui ſtatus decernat, ne ſtabilia bona ſubditorum ſine ſua licentia in Eccleſiaſticos transferantur? Sed nobis hęc ratio non videtur multum ſtringere, latum enim inter vtrumque diſcrimen eſt, nam in alienatione bonorum Eccleſiaſticorum ideò tam diligens cautela præcipitur, quoniam bona Eccleſiæ ſunt bona DEO dicata, & proinde in uſus laicorum ampliùs non conuertenda, *cap. nulli liceat, & cap. nulli prædia* 12. *quæſt.* 2. *Innoc. in cap. verum num* 2. *de foro competenti*, cupiditas enim laicorum ſtudentium ſua conſeruare, & Eccleſiaſticorum ſpontè ſua currentiũ ad eadem bona Eccleſiaſtica vel conſanguineos, vel in alios alienanda effecit, vt Eccleſia in illorum alienationibus tot ſolennitates cenſuerit adhibendas, *tot. tit. de rebus Eccleſ. non alien. in decretal. & in 6. & in Clemen.*

 non

non eſt autem ſic de ſæcularibus, qui hodierno tempore, vt ſupra diximus, frigeſcente iam auito feruore, non ſolent eſſe tam proni, & liberales, ad bona in Eccleſias transferenda. Nihil igitur valet hæc ratiocinatio, Eccleſiaſtici ſua lege prohibentur bona transferre in laicos, ergo etiam Princeps ſæcularis legem ferre poterit, ne laici bona ſua transferant ad Eccleſiaſticos, ſi enim iſta norma ratiocinandi procederet, valeret perinde quoque etiam iſta: Clerici ad iudicium ſæculare euocari non poſſunt, ergo nec laici ad iudicium Eccleſiaſticum, cùm tamen in omnibus cauſis ſpiritualibus foro Eccleſiaſtico ſubiecti ſint: Item percuſſor Clerici ex diſpoſitione ſacrorum Canonum incurrit excommunicationem, ergò etiam Princeps ſæcularis ſtatuere poteſt, vt Clericus percuſſor laici incurrat excommunicationem, quæ illationes planè forent ineptiſſimæ.

Concludendo igitur, meritò videtur dicendum, quòd ſtatutum noſtrum Bauaricum, quo prohibentur ſubditi, ne bona nobilia tantùm, ſine licentia Principis in manus ignobiles, & non priuilegiatas per contractus inter viuos alienent, ſit iuſtum, & legitimum ac nullo modo contra libertatem, & immunitatem Eccleſiaſticam, tametſi in conſequentiam etiam perſonæ Eccleſiaſticæ exclusionem à comparatione talium bonorum patiantur, non ex odio Religionis, ſed boni publici cauſa.

CA-

Digitized by Google

Diſcuſſio Theologico-Iuridica præmiſſæ diſcuſſionis, quæ immerito aſſerta eſt problematica ad decantatam Legem Amortizationis.

CAPVT I.

Communiora quædam & certiora circa immunitatem, & libertatem Eccleſiaſticam Principtæmittuntur.

SVMMARIA.

I. Præter immunitatem localem datur etiam immunitas perſonalis & realis.

II. Non omne priuilegium Eccleſiarum eſt conſtitutum Iure Diuino.

III. Non licet Principibus exemptionem Eccleſiaſticam reuocare, vtut poneretur ab ipſis conſtituta.

IV. Exemptio Eccleſiaſticorum à iuriſdictione laicorum eſt Iuris Diuini.

V. Soluitur textus contrarius ex Matth. 17.

VI. Soluitur ex Actor. 25.

VII. Soluitur ex Cap. 13. Epiſtolæ ad Rom.

VIII. Non habet hic locum contraria præſcriptio aut conſuetudo.

IX. Iuuat autem reſeruatio facta in fundatione, vel priuilegium Papale.

X. Quæ probabiliter præſumuntur ex immemoriali uſu.

Digitized by Google

VT eò firmiùs in progreſſu controuerſiæ pedem figamus, placuit rem ordiri à principijs vniuerſalibus immunitatis ac libertatis Eccleſiaſticæ, atque exindè progredi ad particulares difficultates præſentis litigij: Itaque

I.

Pro certo tenendum eſt I. præter immunitatem Eccleſiaſticam localem competentem locis ſacris ac religioſis, quæ conſiſtit in tuto refugio malefactorum & remotione à locis ſacris mercatus ac iudicialis ſtrepitus: DD. ad tit. 10. de immunitate Eccleſiarum, dari aliam duplicem perſonalem ac realem, conuenientem perſonis ac rebus Eccleſiaſticis, vi cuius tam hæ, quàm illæ exemptæ ſunt à iuriſdictione & exactione Magiſtratus ſæcularis. Proinde leges ciuiles, de perſonis Eccleſiaſticis, aut rebus earum diſponentes, tanquam immunitati Eccleſiaſticæ conrrarias, paſſim iuratã Canonica, quàm ciuilia reprobant, præſertim *cap. quæ in Eccleſiarum 7. cap. Eccleſia S. Mariæ 10. ext. de Conſtitutionibus cap. nouerit 49. extr. de ſentent. excommun. cap. non minùs 4. ext. de immunit. Eccleſiarum cap. 4. de Cenſibus in 6.* & alibi Tridentinum *ſeſſ. 25. de refor. cap. 20. leg. Priuilegia 12. C. de Sacroſ. Eccleſ. Authent. caſſa ibidem*. Profectò vt pupillam oculi hanc immunitatem acerrimè tuetur Summus Pontifex, dum non ſolùm per antiquos Canones, ſed ſingulis annis in die Cœnæ Domini in tranſgreſſores ſententiam excommunicationis latæ ſententiæ, atque ſibi reſeruatæ fulminat, vt in Bulla Cœnæ

§. 18.

§.18. habetur. O vtinam omnes ſaperent, nec de vetito hoc Cœnę ferculo guſtarent, ne guſtando concilient ſibi mortem animę ſempiternam!

II.

Pro certo tenendum eſt 2. Non omnia priuilegia Eccleſijs, perſonis Eccleſiaſticis, aut rebus earum conceſſa, eſſe iuris Diuini. Hoc omninò concedendum putamus ſententię Victorię *releɛt.* 1. *de poteſt. Eccleſiaſt. quæſt.* 2. *art.* 2. Soti *in* 4. *diſtinɛt.* 25. *quæſt.* 2. *art.* 2. Caietani *in ſum. verb. excommunicatio cap.* 31. & 37. Nauarri *in manual. cap.* 27. *num.* 119. Molinę *tom.* 1. *de iuſt. diſp.* 31. *num.* 6. Couarruu. *praɛt. quæſt. cap.* 31. poſt S. Thomam *in epiſtola ad Roman. cap.* 13. dicentium, non omnem exemptionem Clericornm eſſe de iure Diuino. Conſtat autem mea opinione veritas Concluſionis manifeſtè. Quis enim dixerit, priuilegium Caoonis, vi cuius Clericus percuti non poteſt ſine incurſione excommunicationis, à lege Diuina profectum eſſe? Quis dixerit, priuilegium pręſcriptionis centenarię datum Romanę Eccleſię, aut quadragenarię, conceſſum omnibus reliquis Eccleſijs oriri à lege Dei? Quis dixerit priuilegium, quod actiones perſonales Eccleſijs competentes non circumſcribantur niſi centum annorum ſpatio, quod acquirant dominium ſine traditione, gaudeant hypotheca in re empta &c. leg. fin. C. de SS. Eccleſijs, conſtitutum ſit lege Diuina? Et ſic de pluribus alijs priuilegijs loquendo.

Digitized by Google

III.

Pro certo tenendum eſt 3. licèt cum aliquibus teneremus, ne quidem illam exemptionem, vi cuius perſonę Eccleſiaſticę & res ipſarum exemptę ſunt ab omni iuriſdictione ſęculari, eſſe iuris Diuini, ſed tantummodo humani, & profectam vnicè à Conſtitutionibus Imperatorum à Summo Pontifice acceptatis, & proprijs ſanctionibus firmatis, nihilominus eam ampliùs nec ab ipſis Imperatoribus, nec alio quouis Magiſtratu ciuili reuocari poſſe ſine grauiſſimo ſcelere. Molina *loc.cit. num.9.* Leſſius *lib.2.cap.33.dub.4. num.35.* Malderus *in 2. 2.tract.5.cap.6.dub.4. in fine*. Layman.*lib.4.tract.9. cap.8.num.1.* Diana *tractat.2. de immunit. reſol.2.* & apud hos citati: neque eſt, qui inter Catholicos DD.contrarium doceat. Præ reliquis claræ & fundamentales huius aſſerti rationes perhibentur apud Laym.*loc.cit.*

1. Quia naturali & Diuina lege obligabantur Principes, Clericos & perſonas Deo dicatas à poteſtate & iuriſdictione eximere, quatenus ad conuenientem Eccleſiæ ſtatum neceſſarium erat; uti docet Angelicus Doctor *lect.1. cap.13.* in Epiſtolam D.Pauli ad Rom. quem ſequuntur Theologi vniuerſim & Canoniſtæ ad cap.6. x. de maioritate & obed. Sicuti ergò obligabantur ad ſtatuendam exemptionem, ita non minùs obligantur ad ſtatutam non euertendam.

2. Quia immunitate ac libertate priuari non poſſunt niſi ſubditi Decius *in cap. Eccleſia S.Mariæ colum-*

columna 20.verſ.& ideò concordando. Gabriel. *commun. concluſ. l. 3. de iure quæſito non tollendo concl.7. num.*10. Vide quæ infra ad primum aduerſæ partis fundamentum ex ratione petitum dicturi ſumus. Sed poſt conceſſa illa plenæ exemptionis priuilegia, cum aſſenſu & approbatione totius populi Chriſtiani, perſonæ Eccleſiaſticæ non amplius ſubditæ ſunt ſæculari poteſtati: ergò non poſſunt immunitate ſua priuari. Sic vti ſi ſupremus Princeps ſtatum aliquem ſibi ſubiectum, aut Ciuitatem plena libertate donaret, non poſſet eam ampliùs ſine iniuria ad ſubiectionem reuocare, fundamento omnis iuriſdictionis per plenam exemptionem ſublato, vt paſſim videre eſt apud Publiciſtas.

3. Quia Summus Pontifex, Beat.Petri Succeſſor, per ſupremam poteſtatem à Chriſto traditam ſtatuere & præcipere poteſt ea omnia, quæ ad Eccleſiæ conuenientem ſtatum ac gubernationem neceſſaria ſunt, talis autem eſt exemptio ſacrarum perſonarum à ſæculari Magiſtratu. Quamobrem Papa illam non tantùm cum conſenſu laicorum decretis ſuis confirmare potuit, ſed etiam ſi laicus Magiſtratus reluctaretur, indicere atque præcipere *cap. ſolitæ 6. x. de maior. & obed.* Innocentius *ad cap. 2. eodem.* Sicuti ergò eam exemptionem præcipere potuit, ita præcipere poteſt & præcipit, ne conceſſa vnquam violetur. Sed

IV.

Nobis magis pro certo tenendum eſt 4. eſſe hanc exemptionem omninò iuris Diuini, per

Digitized by Google

textom apertum Tridentini *cit. ſeſſ.*25. *de reform. cap.*20. vbi Sacra Synodus ait: *Eccleſiæ & perſonarum* Eccleſiaſticarum *immunitatem Dei ordinatione & Canonicis Sanctionibus conſtitutam eſſe, & cap. quamquam* 4. *de Cenſibus in* 6. Cuius verba ſunt: *Cùm igitur Eccleſiæ Eccleſiaſticæque perſonæ ac res ipſarum non ſolùm iure humano, quinimò & Diuino à ſæcularium perſonarum exactionibus ſint immunes*. Adde Gloſſam *in cit. cap.*4. Rotam *in antiquis deciſ.*10. *de conſuet.* Azor. *inſtitut. moral. par.*1. *lib.*5. *cap.*12. *quæſt.*1. Suarez *contra Regem Angliæ lib.* 4. *cap.*9. Filiuc. *tom.*1. *tract.*16. *cap.*11. *num.*316. & *tom.*2. *tract.*25. *cap. vlt. num.*427. Layman. *in Theolog. Morali lib.*4. *tract.*9. *cap.*8. *num.*1. Diana *tract.* 2. *de immunit. reſol.*1. Barboſa *ad cap.* Eccleſia *S. Mariæ num.*19. & immuneros alios tum Theologos, tum Canoniſtas, tum Legiſtas apud hos citatos; vt vix ſit ſententia in Scholis in quam tot ex omnibus facultatibus præſtantiſſimi DD. conſpirent.

Vt verò omittam textus Script. Sac. *cap.* 3. Num. *ver.* 10. & 45. Item *cap.*8. *ibid.* & Exodi *cap.* 30. *ver.*12. quibus vtitur Gloſſa quibuſuè & alijs locis leuitica tribus à iuriſdictione & oneribus reliqui populi Iſraelitici eximitur, (quàm legem exemptionis non merè ceremonialem ſed moralem fuiſſe, adeòque perdurare etiamnum in lege gratiæ Gloſſa & DD. communiter aſſerunt) probo concluſionem inſuper vna alteraue irrefragabili ratione.

1. Sacerdotes & Clerici iure Diuino conſti-

tuti

tuti ſunt Paſtores & Rectores totius populi Chriſtiani, adeoque omnium omninò fidelium juxta illud D.Pauli *Actor.20. Attendite vobis & vniuerſo gregi in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*, & Ioan.21. *Paſce oves meas*: Eodem ergò iure pariter conſtitutum eſt, ne ſubſint eorum poteſtati: Nam eodem ſemper iure quo ſtatuitur finis ſtatuuntur etiam media ad finem neceſſaria. Item; eodem removetur omne, quod natura ſua eſt impeditiuum finis intenti. Quis autem adeo cæcus eſt, vt non videat paſtoritiam poteſtatem, ac regimen Cleri in ſęculares totum ſubuerſum iri, ſi Sacerdotes horum ſubeſſent iuriſdictioni & dominio? Quis ferret ſibi imperari ab eo, quem ſibi ſubiectum habet? Quis eius iuſſa exequeretur, quem ſub ſua poteſtate eſſe nouit? &c. Taceo natura ſua ineptum eſſe, paſtores ab ouibus iudicari, paradoxum eſſe, vt qui aliorum curam paſtoritiam gerunt toto genere excellextiorem, qualis eſt ſpiritualis, eorundam curæ poteſtatiuæ toto genere inferiori, qualis eſt iuriſdictio ſæcularis, ſubſint. Nolunt ſanè iura Cæſaræa filium euectum ad dignitatem Patriciam ampliùs ſubeſſe patriæ poteſtati patentis, cùm inconueniens ſit, vt qui Pater patriæ eſt, ſubſit poteſtati hominis priuati, textus & DD. *in §.Filiusfam. inſt. quibus modis pat.poteſt.* Ergò longè inconvenientius eſt,vt perſonæ Eccleſiaſticæ,quæ à Deo conſtitutæ ſunt Patres & Rectores populi Chriſtiani, ampliùs ſubiectæ ſint eorum poteſtati.

2. Vt argumentatur Sapientiſſimus Suarez *in defenſ.Eccleſiæ Cathol.lib.4. cap.9. num.17.* Layman. *loc.cit.* Engel. *Colleg.iur. Canon. de immunit. Eccleſ. §.2.num.23.* Indubitatum eſt, Diuina inſtitutione regimen Eccleſiæ, necnon perſonarum ac rerum ad eam pertinentium eſſe penes Prælatos Eccleſiaſticos: Ita enim perpetuus Eccleſiæ Catholicæ vſus, valens in vim traditionis, demonſtrat. Per ſe ergò repugnat circa eaſdem res & Perſonas verſari inſuper regimen ciuile; quippe quod ab Eccleſiaſtico diuerſum ac diſcretum eſt: alias enim daretur duplex Dominium iuriſdictionis duorum in ſolidum vniuerſale, quoad omnes cauſas in eandem rem (quod, ſaltem in praxi, æquè apud Legiſtas implicat, ac duorum in ſolidum proprietatis) & orıretur ingens ex diuerſitate imperiorum confuſio: Si v.gr. Prælatus Eccleſiæ circa perſonas & bona Eccleſiaſtica alter diſponat & præcipiat,& alter Princeps ſæcularis, alter ab altero in ſuo judicio non dependens. Vnde ſi ullibi, hic certè quadrat illud Euangelij: *Nemo poteſt duobus Dominis ſeruire.*

3. Ædes, ſacra vaſa, & veſtes &c. hoc ipſo quòd Deo dedicatæ, & à Vicarijs Chriſti conſecratæ ſunt, habentur pro diuinitùs exemptis ab omni diſpoſitione & iuriſdictione ſæculari. Longe magis ergò perſonæ, quæ ſe totas Dei ſeruitio dedicarunt, ac cultui Diuino à Chriſti Vicarijs conſecratæ ſunt; item res, quæ pertinent ad earum ſuſtentationem, diuinitùs hoc ipſo erunt

exem-

exemptæ à poteſtate temporali. Argumento hoc vſus eſt Innocentius, *in cap. 2. de maior. & obedient. Quis eximit Clericos de iure Imperatoris; cùm prius ei ſubeſſent? Reſpondetur, quòd Papa conſentiente Imperatore: Sed hi non plenè eximunt: vnde dicimus, quod exempti ſunt à Deo, vel dic, quòd Papa etiam ſine conſenſu Imperatoris eos potuit eximere per ſuas Conſtitutiones: quia cùm Clerici ſpiritualis res ſint, & ex toto corpus ſuum & animam dederint in ſeruitium & ſortem Chriſti per conſequens Papæ iudicio & conſtitutionibus ſubſunt.*

V.

Iure Diuino conſtitutam eſſe immunitatem Eccleſiaſticam realem & perſonalem non expugnat.

1. Quòd *Matth.* 17. Chriſtus pro ſe & Petro tributum Imperatori ſolui iuſſerit: Non enim ſoluerit, quòd agnoſceret debitum; Sed ne populus ſcandalizaretur ex ſolutionis omiſſione: *ait autem non ſcandalizemus eos,* inquit, *da pro me & te, &c.*

VI.

Non expugnat 2. quòd *Actor.* 25. Paulus ad Cæſarem appellarit. Nam Paulus fruſtra contra ſæculare tribunal ratione incompetentiæ excepiſſet; quoniam tunc Ethnici Pauli exemptionem tam parùm agnouiſſent, quàm parùm agnouerunt eius Clericatum. Oportuit itaque tunc temporis ſuſtinere iudicem ſæcularem, vtut incompetentem: quod enim mutari nequit, prudenter diſſimulatur. Maluit autem ſuſtinere Cæſarem, quam

Fe-

Feſtum Præſidem, iam Iudæis præoccupatum?

VII.

Non expugnat 3. quòd *cap.13.Epiſt. ad Rom.* dicatur: *Omnis anima ſublimioribus poteſtatibus ſubdita eſto*: Quia hoc intelligendum eſt accomodè, hoc eſt, vt quilibet competenti ſuo Magiſtratui, Clericus Eccleſiaſticis, Laicus ſæculari ſubditus ſit. Sin dicas. S. Petrus *in prima ſua Canonica cap.2.* expreſsè meminit Regum & Ducum, vultque eis Chriſtianos eſſe ſubiectos. ℞.Eo, iſtorum propterea meminiſſe Diuum Petrum, quia exhortationem ſuam ad populum direxit, cui demenda erat illa Iudæorum in diſcipulos Chriſti calumnia, quaſi prædicatione libertatis Euangelicę populum ab obedientia Principibus debita reuocarent. Conformiter ad ea, quæ Clemens III. *in cap. ſolitæ 6.cap.de maior. & obed.* reſcribit Imperatori Conſtantinopolitano, vbi ampliorem ex ipſo ore Pontificis huius textus explicationem capere quiuis poteſt.

VIII.

Pro certò tenendum eſt 5. Non poſſe hanc immunitatem contraria præſcriptione aut conſuetudine à ſæcularibus aboleri. Ita recepta Theologorum & Canoniſtarum apud Azor. *par.1. lib.5. cap 12.quæſt.1.verb. ſed dubitari poſſet*. Filliucium *tom.1.tract.16.cap.10.num.255*.Laym.*lib.4. tract.9. cap.10. num.1*. Duardus *in Bullæ Cœnæ lib.2. can. 14.quæſt.9.num.8*. Diana *tract. 2. de immunit. reſol.4*. Suarez *lib.4. Defenſ. fidei Cathol.34*. Adam. Tanner.

lib.2.

*lib.2.defenſ.Eccleſiaſt.libert.cap.16.*Barboſ.*in Collect. DD.ad cap.*Eccleſiæ S.*Mariæ num.19. &c.* Contra Couarruuiam & Iulium Clarum exiſtimantes, quòd licet vniuerſim nequeat tolli immunitas Eccleſiaſtica per conſuetudinem, poſſe tamen ex parte ita vt in certis negotijs, quæ alias fori Eccleſiaſtici eſſent, laici iuriſdictionem exerceant. Quam communem, & irrefragabilem ſententiam bene notent illi, qui ex vnico ſtatim facto contrario immunitati Eccleſiaſticæ ob metum maioris mali à Superioribus Eccleſiaſticis diſſimulato, aut, quia reſiſti tum non poterat violentiæ, tranſmiſſo, ſtatim ſibi æternum ius cudunt, impoſterum ſimiliter faciendi, non aliter, ac ſi tranſgrediendo tranſgrediendi ius conſequerentur. Si enim nec præſcriptio longi, vel longiſſimi temporis, aut vincens ipſam hominum memoriam, atque fundata in mille actibus exercitis, ſi nec immemorialis quidem conſuetudo derogare libertati Eccleſiaſticæ valent, quantò minùs vnicus actus, ſiue vnius incuria, ſiue alterius iniuria perpetratus, aduerſus immunitatem, eidem præualebit. Quin ſi vltrò Epiſcopus aliquid iuriſdictionis Eccleſiaſticæ laicis tribueret, penitus vacuum & inane foret, nec poſſet iuuare ſæculares: ipſe verò pœnam priuationis incurreret: textus apertus & Gloſſa *in cap. quamuis 17.ext.de Decimis.*

Notent etiam illud omnes, Couarruuiam, licèt aliàs Authorem celeberrimum, & doctiſſimum, pro ſuſpecto tamen haberi in materia libertatis Eccleſia-

Digitized by Google

ſiaſticæ à grauiſſimis DD. à Suarez *de Relig.tom.1. lib.1. de Diuino cultu cap.38. num.16.* Tannero *in Defenſione Eccleſ.libertatis lib.2.cap.16.* à Cardinali Bellarmino *in reſponſ.ad Epiſt.in fauorem Venetorum* Diana *tract.2.de immunit.reſol.4. & alijs* quaſi ſemper magis partes ſæcularium tenuiſſet. Vnde hac in materia neutiquam eius authoritatis eſt, ac in alijs, ſed iuxta monita Citatorum, cautè legendus.

De præſcriptioue res eſt expedita, quod non præualeat contra immunitatem Eccleſiaſticam; Hæc enim non præualet vnquam contra ius diuinum, quo iure conſtitutam eſſe hanc immunitatem abundè demonſtrauimus. Inſuper nequit eſſe præſcriptio ſine poſſeſſione: Iurium verò ſpiritualium poſſidendorum non ſunt capaces laici, inter quæ indubitatè numerandum eſt ius iuriſdictionis in res, & perſonas Eccleſiaſticas. Textus *in cap. cauſam 7.ext.de præſcript. in cap. Sacroſancta 51. de elect. cap. Meſſana 56. ibidem*, Quam parum ergò poſſunt laici præſcribere ius decimandi, eligendi, inſtituendi in beneficio, &c. licet prætendant tempus immemoriale, propter defectum poſſeſſionis vel quaſi, quæ eſſentialiter requiritur ad omnem præſcriptionem, atque ſic etiam ad præſcriptionem immemorialem, per text. *in cit. cap. cauſam*, vbi Gloſſa, Innocentius, Hoſtienſis, Imola, Panormitanus, Decius, Ioannes Andreas, & teſte Barboſa *in collect. DD. ad cap.10. de conſtitut.* Doctores nullo excepto omnes? Ita propter eundem

defe-

defectum poſſeſſionis, ne quidem immemoriali tempore præſcribere poſſunt iuriſdictionem in perſonas, & res Eccleſiaſticas.

De conſuetudine etiam clarum eſt: nam conſuetudo repugnãs iuri diuino corruptela eſt & penitus irrationabilis. Textus *in cap.fin.ext.de conſuet.* Gloſſa, & DD. *ibidem*. Atqui ex dictis patet, Immunitatem Eccleſiaſticam iuris diuinis eſſe: ergo couſuetudine contraria aboleri non poterit. Licet autem cum ſententia paulo ſupra *n.*4. refutata ſuſtineremus hanc Immunitatem Eccleſiaſticam iuris poſitiui humani eſſe adhuc conſuetudo abrogans locum habere non poſſet, cùm damnetur vt irrationabilis vtroque iure. Authene *caſſa C.de SS. Eccleſijs cap.*Clericis 8.*de iudicijs cap.nouerit* 49. *ext.de ſentent.excommun.*& alibi ſæpius. Vnde Gloſſa *in cit.cap.Clericis verb.*conſuetudine *& in cap.fin. ext.de præſcript.in verb.*rationabilis, ac poſt eam,& Abbatem, Canoniſtæ vniuerſim pro regula Canonica tradunt, quod conſuetudo illa ſit irrationabilis, quæ coutra nerunm Eccleſiaſticæ diſciplinæ, vel Eccleſiæ libertatem tendit.

Quibus omnibus à fortiori accedit, quod conſuetudo debeat eſſe legitimè preſcripta. Textus *in allegat.cap.fin.ext.de conſuetud.* Non conſtat autem hic vlla præſcriptio, vtpotè cui continuò reſiſtit damnatio Canonica, authoritas Concilij Tridentini, & Summus Pontifex, fulminans ſingulis annis in die Cœnæ Domini ſententiam excommunicationis in omnes, qui quocunque modo, vel

dire-

Digitized by Google

directè, vel indirectè violaturi Eccleſiaſticam libertatem. Certè etiam Illuſtriſſimus D.Baro Schmid *in 2. ſemicent.contr.controuerſia* 15. negat poſſe contra Immunitatem Eccleſiaſticam locum habere præſcriptionem aut conſuetudinem immemorialem, quia manifeſtum eſt, omnem præſcriptionem, & conſuetudinem, etiam temporis immemorialis, in Concilio Tridentino, & Bulla Cœnæ Domini omninò abrogatam & abolitam fuiſſe & quot annis aboleri de nouo in die Cœnæ.

IX.

Pro certo tenendum eſt *6.* cùm libertas Eccleſiaſtica nec præſcriptione nec conſuetudine aboleri queat, non aliter tutum fore Principem aut Rempublicam, vbi quid iuris aut iuriſdictionis in perſonas, aut bona Eccleſiaſtica arrogantem, quam ſi vel ſimilia iura ſibi reſeruarunt in fundatione, aut priuilegio Apoſtolico deſuper muniti ſint.

Quod autem fundatores laici aliquam iuriſdictionem (nam omnem reſeruari repugnat principijs *num.*4. poſitis) in res Eccleſijs à ſe donatas, aut in perſonas Eccleſiaſticas ratione rerum, ſibi reſeruare poſſint de conſenſu tamen Papæ vel Epiſcopi expreſsè tenet Molina *de iuſt. tract.*5. *diſput.6. num.6.* Layman. *Theol. Moral. lib.*4. *tract.*9. *cap.*5. Suarez *lib.*4.*defenſ.fidei Cathol. cap.* 14. *num.* 13. Quia conceditur patronis, vt poſſint honeſtam conditionem fundationibus adijcere, qualis eſt, vt res donata quoad proprie-

tatem

tatem ſit Eccleſiæ, quoad iuriſdictionem verò ipſa, & occaſione ipſius rei Prælatus, ſubſit iuriſdictioni patroni. Quid enim æquius, quàm vt rebus tuis modum aliquem adijcias, & donato Eccleſiæ patrimonio, quoad proprietatem, ius iuriſdictionis tibi reſerues? Planè Eccleſia, vt prouocet laicorum in fundando liberalitatem eiuſmodi conditiones non reſpuit. Textus *in Canon. decernimus cauſ. 16. quæſt. 7. cap. cum dilectus* 8. *x. de conſuet. cap. verum* 4. *de condit. appoſ.* Ita notum eſt, poſſe ſibi fundatores de conſenſu tamen Papæ in Eccleſijs reſeruare ius regaliæ, ſeu cuſtodia fructuum ſede vacante, annuas penſiones ab Eccleſia ſibi ſoluendas, &c. Textus *in cap. præterea* 23. *de* Iure *Patronatus*.

Quòd itidem Summus Pontifex, aut Concilium generale grauibus de cauſis poſſint ſæcularibus Principibus aliquam iuriſdictionem in Eccleſiaſticos permittere, iterum indubitatum eſt apud Layman. *loc. cit. cap. 8. num. fin.* Dianam *tract. 2. de immunit. reſol. 6.* & alios. Patet manifeſtè à poſteriori: Nam Concilium vniuerſale Lugdunenſe II. ſub Greg. X. Anno 1274. celebratum, Regibus Franciæ tolerauit ius Regaliæ in illis Regni Eccleſijs in quibus ab immemoriali tempore exercitum erat; excommunicationis tamen lata ſententia, ſi illud ius extenderetur vlterius ad alias Diœceſes tunc immunes ab exercitio Regaliæ. Text. *in cap. generali de elect. in 6.* Item Concilium Lateranenſe conceſſit laicis decimas, quas

ante Concilium illud ab Eccleſijs in feudum rece-perunt. *Cap. cum Apoſtolico 7.ext.de his, quæ fiunt à Prælatis, & cap.2. §. ſanè de decimis in 6.* Sin igitur ſimilia iura merè ſpiritualia concedere poteſt ex cauſa laicis Summus Pontifex, poterit etiam conferre aliquid de iuriſdictione in res & perſonas Eccleſiaſticas. Quæ omnia teſte Henrico Caniſio *ad tit.de decimis cap.13. num.13.* reijcienda ſunt in ſupremam Pontificis poteſtatem, quam habet in omnes Eccleſias & Eccleſiaſticas perſonas, earumque bona & iura, vt tanquam diſpenſator fidelis & prudens pro maiori Eccleſiæ vtilitate, conferre poſſit etiam partem in illos, quibus aliàs de iure non conuenirent.

X.

Denique pro probabili (refero præciſe, ac ſuo valori relinquo aliorum mentem) tenent Authores, Germaniæ noſtræ 7. quandò vſus alicuius iuriſdictionis (quæ aliàs nonnullis laicis ſolita eſt ſpeciali priuilegio à Summo Pontifice concedi) vincit hominum memoriam præſumi tum poſſe legitimum ac iuſtum titulum reſeruationis, aut priuilegij Apoſtolici. Licet itaque in tali cauſa neutiquam dici debeat, aut poſſit, tempore immemoriali præſcriptam eſſe iuriſdictionem in perſonas aut res Eccleſiaſticas (vbi enim eſt defectus poſſeſſionis, ne quidem tempore immemoriali præſcribi poteſt, cùm neceſſaria ſit poſſeſſio vel quaſi ad omnem etiam immemorialem, præſcriptionem, ſicut dictum,) dici tamen poteſt, præſcriptum eſſe titu-

lum

ſum reſeruationis, in fundatione factæ, vel priuilegij Apoſtolici, in tantum, vt præſumatur aliquandò emanaſſe, & vſui initium dediſſe, licèt de facto exhiberi non poſſit. Ita Suarez *lib.4.defenſ.fidei Cathol.cap.34.* & Layman.*tract.cit cap.10.num.2.*

Argumentum pro concluſione hi deſumunt à pari licèt enim laici nullo tempore, ne quidem immemoriali decimas præſcribere poſſint, Textus *in cap.cauſam 7.ext.de praſcript.* Conſuetudo tamen immemorialis percipiendi decimas à laicis vſurpata videtur ſufficere in vim ſufficientis probationis priuilegii, cuius virtute illa inchoata & continuata creditur, Felinus *in cit.cap. cauſam n.3.* Couarr. *var.reſol. lib.1. cap.17. num.5.& 6.* Azor. *par.1. lib.7. cap.26. à quæſt.1.* Laym. *lib.4. tract.6. cap.6. num. 5.* Henricus Zœſius *extr. de decimis num.51.* & alij plures. Ergo idem dicendum erit ſpirituali iure iuriſdictionis in res & perſonas Eccleſiaſticas, quòd nimirum immemorialis, imperturbatus eiuſdem vſus faciat præſumi eum fuiſſe cum titulo reſeruationis, aut conceſſionis Papalis inchoatum.

In hanc rem adduci etiam poteſt argumentum ex iure ciuili *in lib.3.§.fin.ff. de acqua pluuia arcenda*; vbi dicitur, quòd ſoleant iudices tueri aquæ ductus, quibus authoritatem vetuſtas dedit, licèt ius non probetur: Nam cùm quilibet præſumatur bonus, qui non probatur malus, pro tam antiquo exercitio quàm optimè præſumendum, ne poſſeſſori ius pereat.

Digitized by Google

Ex hac ratione iſti ſuſtinent iuriſdictionem, quam Romano-Germanicus Imperator exercet in ſtatus Eccleſiaſticos Imperij. Quis enim exhibebit modò aut pacta reſeruationis in fundatione ſingularum Eccleſiarum, aut priuilegium Papale ſuper iſthac iuriſdictione, vi cuius ſtatus immediati Eccleſiaſtici conueniri debent in aulico Conſilio Imperatoris, aut Camera Spirenſi in omnibus actionibus realibus & perſonalibus, concernentibus bona eorundem? Quis exhibebit conſcriptam in tabulis reſeruationem, aut Pontificiam Bullam ſuper ſimili praxi noſtræ patriæ, vi cuiuis ſacri ſtatus, Prælati, Abbatiſſæ, &c. in omni actione perſonali (non pertinente ad eorum perſonam) & reali conueniuntur coram aulico, & alijs Excelſis Bauariæ Regiminibus. Art.7. *Der erchlerte landsfreyheit*? Debebit igitur dici propter diuturnitatem temporis & multorum centenorum annorum vſum, à Sacra Romana Sede nec turbatum, nec improbatum, meritò præſummi, vel fuiſſe Romanis Imperatoribus in Occidente (penes quos ſolos iuxta Aduerſarium noſtrum loco infra ab initio citando erat integra iuriſdictio) deſuper collatum ſpeciale priuilegium Pontificium, & ab his vna cum iure Regalium & Suprematus communicatum reliquis Imperij Principibus, vel à primis Imperatoribus in fundatione Eccleſiarum fuiſſe ſpecialiter reſeruatum. Ita nimirum cum alijs Germaniæ noſtræ Authoribus maxime Publiciſtis diſcurrit Illuſtriſſimus Baro Schmid *in Semicent.* 2.

con-

controu.controuerſia 13. *per totum* cum quo iam nobis, hiſce ad complanandam ſemitam præmiſſis, de ſumma rei, concernente legem Amortizationis, Deo Duce & Auſpice decertandum erit.

Tenebimus autem hanc certaminis rationem, vt primò iure utroque ſtabiliamus ſententiam Theologorum & Canoniſtarum receptam, & negantem, licitam aut validam eſſe legem amortizationis à laicis latam: Dabimus ſimul, & præcipuè, operam, vt clarè oſtendamus, vanas, ac nullo iure nixas, eſſe illas exceptiones, quibus vel elidere, vel eludere voluit Illuſtriſſimus Author irrefragabilia argumenta ſententiæ negatiuæ.

Secundò ſoluemus eiuſdem pro parte affirmatiua argumenta tum ex Sacr. Scriptura, tum Sanctis Patribus, tum Rota Romana, tum ab obſeruantia Regnorum, tum denique ab authoritate DD. petita.

Tertiò ſoluemus argumenta deſupta ex ratione. Et quò magis vitemus confuſionem, capita in plures Paragraphos diuidemus, in tot, quot materiæ amplitudo exiget. Omnia pro iuſtitia, pro veritate, pro Eccleſiæ libertate, pro DEI honore; ad nullius verò iniuriam, aut irreuerentiam. Sic ergò.

Digitized by Google

CAPVT II.

Statuitur & propugnatur ſententia communis; illicitum & inualidum eſſe decretum Amortizationis.

SVMMARIA.

I. *Repugnant libertati Eccleſiaſticæ etiam leges indirectè derogantes.*

II. *Hæ leges ſecundùm verba ſubditis, reuera Eccleſiaſticis feruntur.*

III. *Inter has communis DD. merito numerat legem Amortizationis.*

IV. *Deducitur, quare? per longum.*

POſt hactenus poſitam ac demonſtratam exemptionem Eccleſiaſticorum à iuriſdictione laicorum vt præciſis vlterioribus ambagibus ad rem veniamus.

I.

Iterum pro certo tenendum eſt, huic exemptioni ac libertati, non tantum repugnare illas leges, quæ directè & expreſsè aliquid ordinant de perſonis Eccleſiaſticis aut rebus earum, per text. *in cap. Eccleſia S. Mariæ ext. de conſtit. cap. nouerit de ſentent. excom. cap. 1. diſt. 96. & alibi.* Sed etiam quæ indirectè & per neceſsariam ſequelam vergunt in præiudicium Eccleſiaſticarum perſona-

rum,

rum, aut Eccleſiarum reſtringendo in effectu eorum libertatem, aliàs iure communi competentem; licèt fortè directè latæ ſint perſonis laicis ſubiectis iuriſdictioni legislatoris. Textus expreſsus *in cap. fin. de Eccleſiarum immunit. in 6.* Gloſsa & DD. ibidem. Excommunicantur in hoc capitulo Domini temporales, qui interdicunt ſuis ſubditis, ne Prælatis aut perſonis Eccleſiaſticis quidquam vendant, aut emant ab eis, item ne ipſis bladum molant, &c. Audiàmus ipſa verba Capituli. *Eos, qui temporale Dominium obtinentes, ſuis ſubditis, ne Prælatis aut Clericis ſeu perſonis Eccleſiaſticis quidquam vendant, aut emant aliquid ab eiſdem, neque ipſis bladum molant, coquant panem, aut alia obſequia exhibere præſumant, aliquando interdicunt (cum talia in derogationem libertatis Eccleſiaſticæ præſumantur) eo ipſo excommunicationis ſententiæ decernimus ſubiacere.*

II.

Ratio Papalis Conſtitutionis ex mente Gloſsæ & DD. eſt, quia licet talis lex directè feratur ſubditis, in effectu tamen præiudicat ſtatui Eccleſiaſtico, cui derogatur in iure libero emendi, vendendi, molendi, coquendi panem, &c. aliàs competente. Imò verò in effectu talis lex fertur perſonis, Eccleſiaſticis, in quas aliàs laicis nulla eſt iuriſdictio. Argum. *cap. quantò ext. de priuilegijs*; Nam quid aliud eſt prohibere laicis ne vendant Eccleſiaſticis, quàm prohibere Clericis ne emant? prohibere laicis ne Clericis molant, quàm Clericis pro-

hibere ne veniant ad molendinum? &c. Hac ratione, ait Gloſsa, fit fraus legi faciendo extenſionem de perſona ſubiecta in non ſubiectam, eique contra communem libertatem præiudicatur. Eapropter competit Clericis actio de dolo non tantùm ad ſtatutum tollendum, ſed etiam ad ſuum damnum conſequendum: quia actio doli competit, quotieſcumque aliquid dolo fit, & alia actio deficit *leg.* 1. *ff. de dolo malo Gloſſa in cit. cap. fin. in verb. ſubditis*.

III.

Huc referunt DD. Theologi & Canoniſtæ communiter omnes (quos nominatim per ingentes Catalogos citatos videre eſt apud Dianam, Barboſam, & alios paſſim) ſtatuta, quibus laicis prohibetur, ne bona immobilia vendant Clericis, alijs vocari ſolita decreta Amortizationis, quoniam, vt in ingreſsu dictum, inhibent bona laicorum venire in manus Monaſteriorum, Collegiorum, Eccleſiarum, Hoſpitalium, &c. quæ ſunt immunes à morte ac mutatione, ſeu ſunt immortales, & nequeunt ampliùs in laicos aiienare, quæ acquiſiuerunt.

IV.

Ratio, mea opinione, pro hac recepta DD. ſententia ſatis euidens & palpabilis eſt.

1. Quia *c. c.* finale caſum emptionis & venditionis in ſpecie comprehendit, & damnat eos, qui vendere Clericis aut à Clericis emere ſubditos prohibent. Vtique autem, quod aliàs iure commu-

muni vendere & emere poterant? ſubſumo: atqui emere immobilia iure naturali, Gentium, & communi ciuili conceſsum eſt Clericis, & vendere conceſsum eſt laicis: Damnantur ergò & excommunicatione feriuntur à capitulo *fin.* Domini temporales, qui eiuſmodi emptionem & venditionem prohibent.

Eſt 2. Quia laici incapaces ſunt, præciſo ſpeciali priuilegio, aut reſeruatione facta in fundatione, omnis penitus iuriſdictionis in Eccleſias aut perſonas Eccleſiaſticas. Secundùm dicta & probata. Nequeunt ergò his per ſuas leges ſiue directè ſiue indirectè auferre, quod iure naturali, gentium, & ciuili communi ipſis conceſsum eſt (ad quid enim magis requiritur iuriſdictio, quàm ad auferendum iure illud, quod natura & ius gentium dedit?) ſed iure naturali, fatente ipſomet Illuſtriſſimo Authore aduerſario in 1. ratione probabilitatis intrinſecæ, gentium & ciuili conceſſum eſt Eccleſiaſticis bona immobilia emere. Itaque nequeunt, quicunque demum Legislatores laici, illis hanc emendi facultatem auferre, ſiue directè ſiue indirectè.

Dixi nequeunt ne *indirectè* quidem auferre, vt præcluderem viam decantatæ, ſed malè ſonanti Næniæ. *Simili ſtatuto non ipſos Clericos & Eccleſias emere, ſed tantùm ſubditos laicos prohiberi vendere: in ſubditos autem Principi ſæcularis eſt iuriſdictio.* Nam primùm dixi, in effectu prorſus idem eſſe prohiberi laicos vendere Clericis, & hos prohiberi emere,

re, cùm eodem prorſus modo in effectu reſtringatur libertas emendi iure naturali & gentium, conceſſa. Rectè igitur Maynardus *de priuil. Eccleſ. contra Venetos par.2. art.22. num.68.* Surdus *lib.3. conſ.301.* aiunt; Licèt ſimile ſtatutum quoad verba non videatur infringere Eccleſiaſticam libertatem, cùm præcipiat ſubditis, tamen quoad mentem eſt contra libertatem Eccleſiaſticam faciendo fraudem de perſona in perſonam. Et in ſimilibus non tantum inſpicitur, cum quo ſtatuens loquatur, ſed in quem conferat ſermonis effectum: & conſideranda eſt mens potiùs quàm verba, nam verba deſeruiunt intentioni & non è conuerſo intentio verbis. Gloſſa notabilis *in cap. quantò ext. de priuilegijs.* Notum eſt tyronibus iuris, non licere indirectè, quod directè eſt prohibitum, & quod vna via denegatum eſt, intelligi debere denegatum & altera. Gloſſ. *eod. in verb. in fraudem.* Item, *illum committere in legem, qui verba legis complectens contra legis nititur voluntatem, cap. fin. de R.I. in 6.* Hinc irrefragabilis ratio ad retundendam abſurdam iſtam Signoroli & aliorum aduerſantium replicam pro communi ſententia.

Sit 3. Argumentum ſæpiùs *citati cap. quantò ext. de priuilegijs.* In hoc expreſsè ſtatuit Pontifex, vt, ſi qui à iuriſdictione Epiſcopi exempti ſunt, non poſſit in illos Epiſcopus ne indirectè quidem, vetando aut prohibendo ſuis ſubditis ne, cum illis communicent, exercere iuriſdictionem, cùm priuilegia nec indirectè violanda ſint. Ergò, qui di-

directè nequit in alterum exercere iuriſdictionem nec indirectè eam exercere poteſt. Subſumamus itaque. Statutum laicale directè interdicens Eccleſijs & Clericis ne emant immobilia, nemine contradicente, repugnat immunitati Eccleſiaſticæ, cùm vſurpetur iuriſdictio in vetando aduerſus Eccleſias & perſonas Eccleſiaſticas *cap. Eccleſia S. Mariæ x. de conſtitut. cap. nouerit de ſentent. excomm. &c.* ergò pariter repugnat ſtatutum indirectè interdicens Eccleſijs aut Eccleſiaſticis, ne emant immobilia. Tale verò eſt ſtatutum, vi cuius prohibentur laici ſubditi immobilia in Eccleſiaſticos alienare: ergò, &c.

Idem, quod de ſtatuto vetante expreſsè, ne Clericis vendatur aut Eccleſijs, ſentito de illo quoque, quod quidem expreſsè non meminit Eccleſiarum aut Clericorum, vi tamen ſua venit ad eos extendendum. Diana *tract. 2. de immun. reſol. 57.* magìs quippe effectū quam verba ſpectamus. Maynardus *loc. cit.* Talis naturæ eſt ſtatutum noſtrum patrium de anno 1672. ne ampliùs bona nobilia in manus non priuilegiatas alienentur: quamuis enim nec verbulo meminerit Eccleſiarum aut Eccleſiaſticorum, vi tamen ſua, cum hi non eſſent manus priuilegiatæ, extendebatur ad Eccleſias & Eccleſiaſticos; quin, vt dictum, eò vnicè reſpiciebat. Quapropter rectè Coriolanus *in expoſ. Bullæ Cœnæ excom. 15.* aſſerit, ſi emanet à Magiſtratu ſæculari ſtatutum, ne bona immobilia alienentur in extraneos, non ſubditos, &c. poſse Eccleſiam cogere

ita

Digitized by Google

ita ſtatuentes, vt declarent illud ſtatutum non debere extendi ad Clericos. Quoniam nulla generalis diſpoſitio comprehendit perſonas in ſpecie priuilegiatas, & ſub generali diſpoſitione non comprehenditur id, de quo in ſpecie diſponi non poteſt. Argum. *leg. Lucius, §. Imperatores ff. ad municipalem.* vbi Gloſsa. *ad verb. videaris. Si quid expreſsè mandari non potuit, ergò nec tacitè.*

Sic poſitiuè roborata ex iure Canonico ſententia communi negatiua, videamus, qua ratione vim *Capituli finalis in 6. de communitate Eccleſ.* euadere conetur Illuſtriſſimus Author diſcuſſionis problematicæ.

§. I.

Via euadendi capitulum fin. de immunitate Eccleſiarum in 6. præcluditur.

SVMMARIA.

I. Reſponſio Illuſtriſſimi Authoris ad d. cap. fin.

II. Non ſufficit 1. quia fertur in taliter ſtatuentes excommunicatio ipſo facto incurrenda.

III. Non ſufficit 2. quia præſumi, non ſonat vnum ex alio colligi, ſed idem ac attentari in præſenti capite.

IV. Non ſufficit 3. quia non animus ſed effectus ſpectatur in ſtatutis aduerſantibus libertati Eccleſiaſticæ.

V. Commodum proprium non reſpicit Eccleſia, quando præ-

præiudicium ſit eius libertati.

VI. *Bonum publicum per ſtatuta libertati contraria intendi, nihil ad rem.*

VII. *Argumentum ad hominem, à bono particularis prouinciæ, ad bonum Imperij.*

VIII. *Bonum Eccleſiæ longè præcellentius bono politico ſæculari.*

IX. *Libertas Eccleſiaſtica pertinet indiuiſim ad totam Eccleſiam.*

I.

ILluſtriſſimus Author Diſcuſſionis, pro doctrinæ ſuæ incomparabili præſtantia, ingenioſam viam ingreditur, vt declinet energiam famoſi capituli finalis. Ait enim: allegatum capitulum finale loqui in caſu, quo ſimilia ſtatuta promulgantur in odium ſtatus Eccleſiaſtici: Non verò à Principibus Chriſtianis emanare in eiuſmodi odium, ſed propter alias honeſtiſſimas cauſas, videlicet bonum publicum, conſeruationem Nobilitatis pro ſeruitijs Principum belli paciſque tempore. Probat hoc ex verbis Canonis: *(Cùm talia in derogationem libertatis Eccleſiaſticæ præſumantur.) Non id dicit Summus Pontifex, quòd ſint: quaſi velit dicere, talis prohibitio ex ſe quidem non eſt contra libertatem Eccleſiæ, ſed præſumitur ex fine & intentione prohibentium.*

Nota bene! Amice Lector, talia ſtatuta, de quibus loquitur cap. finale, *ex ſe*, vel *per ſe* non contrariantur liberrati Eccleſiaſticæ, ſed ideò tantùm quia promulgantur ex odio & animo nocendi Eccle-

Eccleſiaſticis, ideò damnantur, ideò excommunicatione caſtigantur.

Sed profectò non euadit Illuſtriſſimus Author.

II.

Oſtenditur primò: In hoc capitulo Pontifex excommunicatione, ipſo facto incurrenda, punit, qui talia ſtatuta promulgant. Ergò talia ſtatuta *ex ſe*, vel *per ſe* ſunt contra libertatem Eccleſiaſticam. Nam aliàs ſolam intentionem & animum lædendi libertatem Eccleſiaſticam abſque actuali effectu læſionis puniret excommunicatione: Quod manifeſtè repugnat certæ & generali doctrinæ DD. vno ore clamantium, leges pœnales intelligendas eſse cum effectu, & pœnam, præſertim grauiſſimam, qualis eſt excommunicatio, non infligi ob ſolum animum malignandi nullo effectu ſecuto. Sic nemo dixerit excommunicationem Canonis incurrere, qui voluit percutere Clericum, reuera percuſſit laicum. Textus expreſsus *in leg.* 18. *ff.de pœnis* vbi: *Cogitationis pœnam nemo patitur, leg. fugitiuus de verb.ſign.leg.ſæpè in fin.eod.* Argum. *cap.* 34.*&* 35.*ext.de ſimonia*, Alterius *tom.*2.*de cenſuris diſput.*7.*cap.*1.*& diſp.*15.*cap.*3. Argument. *Can.*17. *diſt.*1.*de pœnitentia.* Flauius Cherubinus *in Compendio Bullarum Bulla* 48. *Pauli V.*

III.

Oſtenditur 2. Verba: *Cùm talia in derogationem Eccleſiaſticæ libertatis præſumantur.* Quibus ſibi viam euadendi tutam conatur reddere Illuſtriſſimus Author; ſenſu genuino hic neutiquam ſignificant

præ-

prę ſumptionē ex parte legislatoris ſuper malo animo ſtatuentium, ſed præſumptionem, attentatum, ſeu auſum temerarium ex parte ſtatuentium, vt adeò ſenſus ſit: *Cùm talia in derogationem libertatis Eccleſiaſticæ præſumptione temeraria attententur*: vt cuiuis vel obiter conſideranti patebit. Et certè ſupponit Author, & pro hoc adducit etiam Gloſſam, quòd Bonifacius VIII. ſciuerit hæc ſtatuta emanaſſe à ſæcularibus in odium Clericorum, qui cùm non poſſent directè cogi ad talias & collectas perſoluendas, cogebantur indirectè interdicta laicis communicatione operarum cum Clero. Vbi verò eſt certa ſcientia fraudis & odii, non habet locum præſumptio, cùm præſumptio ſit de re incerta ac occulta: ergò à primo ad vltimum præſumptio hic ſonat *attenta*, ſeu *auſum temerarium* ex parte laicorum talia præſumentium ſtatuere, non verò præſumptionem legislatoris: quam aliàs deſcribimus, probabilem opinionem legislatoris aut iudicis de re occulta ex quibuſdam coniecturis deſumpta. Vide DD. *ad tit. ext. de præſumptionibus, & ff. de probat. & præſumpt.*

IV.

Oſtenditur 3. Eccleſia in reprobandis ſtatutis laicorum præiudicantium libertati Eccleſiaſticæ neutiquam ſpectat, quid legislator ſæcularis intenderit; Num ſtatuendo conceptum erga Eccleſias aut Eccleſiaſticas perſonas odium voluerit exercere, vtrum intenderit eiſdem nocere, nec ne? Sed potiùs ſpectat, vtrum ſtatuendo reipſa ſibi arroget

roget

roget iuriſdictionem in Eccleſias & perſonas Eccleſiaſticas, vtrùm reipſa reſtringat earum ante habitam libertatem quocunque demum id animo faciat. Non itaque ſpectat odium formale, fraudem formalem & cogitatam, ſeu vt dicere ſolent iuriſperiti *ad tit.inſtit. Quibus manumittere non licet*: fraudem mentalem, ſed odium reale, fraudem realem, ac euentualem. Filliucius *tract.16.cap.10.num.270.* Vbi alijs quidem verbis, ſed ſenſu eodem, imò clariore dicit, non hic ſpectari *finem operantis, ſed finem operis*. Cuius rei euidenti ac prorſus innegabili argumento eſt, quòd Eccleſia etiam reprobet illas leges ſæcularium Principum quibus de Eccleſiaſticis bonis aut perſonis diſponitur, tametſi Eccleſiæ fauorem aut patrocinium continere videantur, & hic fauor etiam fuerit intentus à Principe laico. Textus apertus *in cap.1.diſt 96.& in cap.Eccleſia S.Mariæ ext. de conſtitut.* Cuius verba recito: *Nos attendentes, quod laicis, etiam religioſis* (hoc eſt deuotis,) *ſuper Eccleſiis & perſonis Eccleſiaſticis nulla ſit attributa facultas: quos obſequendi manet neceſſitas non authoritas imperandi; à quibus ſi quid motu proprio ſtatutum fuerit, quòd Eccleſiarum etiam reſpiciat commodum & fauorem nullius firmitatis exiſtit, niſi ab Eccleſia fuerit approbatum. Vnde ſtatutum Baſilÿ de non alienandis prędÿs ruſticis, vel vrbanis Miniſterÿs, & ornamentis Eccleſiarum, illa reprobatum fuit potiſſima ratione, quòd authoritate non fuit Romani Pontificis roboratum.*

Ra-

Digitized by Google

V.

Ratio verò huius conſtitutionis eſt, quòd Eccleſia maioris æſtimet diſpendium libertatis, quod patitur à ſæcularibus, arrogantibus ſibi tali legum promulgatione iuriſdictionem in Eccleſiaſticos, quàm bonum etiam magnum prouenicns Eccleſiis ex eorum legibus. Angelus *verb. lex num.5.* Suarez *lib.3.delegibus cap.34 num.13.& lib.4.defenſ. fidei cap.16. num.7.* Layman. *lib.1. tract.4. cap.13. num.2.* Ex quo inferunt DD. leges Imperatorias diſponentes de Monaſterijs & Eccleſijs &c. quales extant in titulis *C.de Sacroſ. Eccleſiis & de Epiſcopis & Clericis &c.* niſi iure Canonico receptæ & approbatæ ſint, nullius roboris eſſe, tanquam profectas à non habente poteſtatem.

Cæterùm eſto, quòd capitulo vltimo *de immunit.in 6.* Iuxta Gloſſam anſam dederint Domini temporales quidam, ex odio erga Clerum inhibentes ſubditis, ne impoſterum obſequijs ſuis cum iiſdem communicent; odium tamen iſtud, ſeu animus malignandi, fuit tantùm cauſa impulſiua, non verò finalis huius conſtitutionis edendæ, & reſpexit Bonifacius VIII. ſubſtantialiter ad hoc, ne per leges ciuiles, etiam indirectè poſſet præiudicari Clericis. Innuit luculenter idipſum Gloſſa, dum poſt poſitum caſum, & enarratam Pontificis Conſtitutionem abſolutè, non alligando ad conditionem odii, infert, & vniuerſaliter ita loquitur. *Nota, quòd prohibitio directa ad ſubditos, ex qua indirectè præiudicatur Clericis, quoad ipſorum libertatem, non tenent.*

Digitized by Google

VI.

Bonum publicum, ſeu commodum Reipublicæ, quod, ais, intendere in ſimilibus ſtatutis Principes ſæculares, penitus nihil ad rem facit. Si enim ne quidem bonum eccleſiarum & earum commodum attendit Pontifex *in cit. cap. Eccleſia* S. *Mariæ*, & eius promotione non obſtante nihilominus reprobat legem ſæcularem, vſurpantem ſibi aliquam iuriſdictionem in perſonas eccleſiaſticas, Eccleſias aut earum bona: Quantò minùs ad minuendam immunitatem eccleſiaſticam, ad reſtringendam libertatem, iure naturali, gentium, & communi conceſſam admittet pro ſufficienti cauſa prætenſum bonum publicum ſæculare, quod plerumque magis in præoccupata imaginatione conſiſtit, quam vt certò ſimilibus ſtatutis ad notabile incrementum reipublicæ obtineatur. Cantari debet ſolenne *Requiem* libertatis eccleſiaſticæ, ſi ea iure & impunè à ſæcularibus reſtringitur, quoties obtendere poſſunt cauſam boni publici. Millies obtendere poterunt: ergò millies violare poterunt. Vah! Miſeram libertatem! quæ tot lethalibus ictibus confoſſa jacet, quot leges contra eam promulgari à laicis poſſunt prætextu vtilitatis publicæ: poſſunt autem quæcunquæ; Si hæc ratio diſcurrendi valeat: *Lex iſta fertur à Principe boni publici intentione: ergo non violatur per eam immunitas eccleſiaſtica*: Demonſtro. De eſſentia omnis legis, qua talis, eſt ferri ob bonum publicum *cap. 2. diſt. 4. leg. 25. ff. de legibus*. Quotieſcunque itaque lex à

Prin-

Digitized by Google

Principe promulgatur, ſupponimus intendi bonum publicum. Conſequenter; quotieſcunque fertur lex, etiam præiudicans libertati Eccleſiaſticæ, à Magiſtratu ſæculari, iuſta eſt, nec violat immunitatem, quia fertur ob bonum publicum. Vides, amice Lector! in quantum præcipitium erroris te illud Sophiſma & ratio diſcurrendi conijciat. Vides, fruſtra tot ſeueriſſimis ſanctionibus Sedem Romanam obniti violationi immunitatis per leges ciuiles, cùm tamen debeat ſupponere omnes habere eſſentiam legis, ſeu intentas eſſe in bonum reipublicæ, quæ proin ex hoc ipſo capite procedere debent, nihil refragante immunitate. Vides Dominos illos temporales, de quibus loquitur *capit. finale de immunitate in 6.* in hoc ſolùm peccaſſe, quòd iſtas leges de non habenda vlla commercij communicatione cum Clericis, tulerint ex odio & rancore erga perſonas eccleſiaſticas. Vtinam habuiſſent pro intento ſuo publicum bonum; Fuiſſent ſanè vi aduerſi diſcurſus iuſtiſſimæ, nec contra hiſcere auſus fuiſſet Clerus & Pontifex. Sed inanis me cura vexat. Fallor! Etiam iſti Domini temporales utique prętenderunt bonum publicum, neutiquam odium eccleſiaſticorum? vtique prætenderunt. Clericos communi defenſione, communibus aliorum Ciuium & ſubditorum commodis frui, &c. Proin debere pro ſtatu Principis, pro ſumptibus Reipublicæ, pro leuamine aliorum Ciuium dare collectas, talias &c. & cùm vltrò debitum non obſeruent, debere cogi per interdictam

omnem cõmmunicationem laicorum ſubditorum cum illis. En! prætextum boni publici. En! nihilominùs damnatas à Pontifice eiuſmodi leges.

VII.

Quiſquis eſt propugnator talium ſtatutorum Amortizationis, veniat, & ſuomet prudenti Calculo conſideret; quòd vtique immunitas eccleſiaſtica; hoc eſt: non vſurpari à laicis iuriſdictionem nec directè nec indirectè in Eccleſias & perſonas eccleſiaſticas; item non minui earum libertatem, quam habuerunt hactenus, & habent communem cum Laicis, intenta ſit, & cedat in bonum totius Eccleſiæ, pertineat tanquam bonum commune ad totam rempublicam ſpiritualem, ſit communis dos, totius, qua latè per vniuerſum orbem patet, Hierarchiæ eccleſiaſticæ? Communis & indiuiſus fauor totius Eccleſiæ eſt eius immunitas ac libertas, pro vna, quantum ad eam, perſona ſtat tota Eccleſia DD. omnes poſt Abbatem. *in cap.nouerit num.2. de ſentent. excomm.* Innocentium *ibidem* Caietanum *in ſumma verb. immunitas eccleſiaſtica* Suarez *in defenſ.fidei Cathol.lib.4.cap.*1.*n.*11. Conclude ergò tandem, bonum publicum (magis fortè prætenſum quàm certò obtinendum) vnius Regni, vnius Prouinciæ, vnius Ducatus &c. non poſſe tuta conſcientia præferri bono publico vniuerſali ipſius Eccleſiæ.

Audebiſne dicere, poſſe Principem Imperij Romano-Germanici leges & ſtatuta ferre, quæ cedant quidem in ſingulare bonum ſuæ Prouinciæ,

ciæ, præiudicent tamen bono Imperii, v.g.erigendo noua in fluminibus & publicis vijs telonia &c.? Planè non audebis, tum propter emanatos receſſus Imperij, tum principaliter ob hanc inuincibilem rationem,quia bonum vnius Prouinciæ & Ducatus debet cedere bono publico totius Imperij. Applica iſtud ſtatutis, de quibus in præſenti controuertimus, & Principis, tuæque, conſcientiæ benè conſules.

VIII.

Quòd ſi itaque bonum politicum, quantumcunque vnius prouinciæ non præualet bono communi politico totius Imperij, quantò minùs præualebit bonum politicum vnius prouinciæ aut alterius vniuerſali bono Eccleſiæ, cùm ne quidem bonum totius Imperij eidem præualeat. Toto genere bonum Hierarchiæ Eccleſiaſticæ præcellit bono ciuili Imperij; ergò propter hoc, alterum authoritate ciuili nunquam violandum eſt. Publicum bonum proportionatur ſtatui, cui conuenit, vt adeò tantò ſit præcellentius, altero bono publico, quanto præcellentior eſt ſtatus Hierarchiæ, ad quam pertinet. Audi iam de præcellentia Hierarchiæ eccleſiaſticæ ſupra Imperium loquentem Innocentium III. *in cap. ſolitæ 6. ext. de maior. & obedientia*, ad Conſtantinopolitanum Imperatorem. *Potuiſſes autem prærogatiuam Sacerdotij ex eo potius intelligere, quod dictum eſt; non à quolibet, ſed à Deo; non Regi ſed Sacerdoti, non de Regia ſtirpe, ſed de Sacerdotali proſapia deſcendendi; de Sacerdotibus vi-*

delicet, qui erant in Anathot. Ecce conſtitui te ſuper gentes & regna, vt euellas, & diſſipes, ædifices & plantes, & infra. *Præterea noſſe debueras, quòd fecit Deus duo magna luminaria in firmamento cœli, luminare maius, vt præeſſet diei, & luminare minus, vt præeſſet nocti, utrumque magnum, ſed alterum maius. Ad firmamentum igitur cœli, hoc eſt, vniuerſalis Eccleſiæ, fecit Deus duo magna luminaria, id eſt, duas inſtituit dignitates, quæ ſunt Pontificalis authoritas, & regalis poteſtas. Sed illa quæ preeſt diebus, id eſt, ſpiritualibus, maior eſt, quæ verò carnalibus, minor, vt quanta eſt inter Solem & Lunam, tanta inter Pontifices & Reges differentia cognoſcatur.* Vide hanc ad rem plura apud Barboſam *in Collect. DD. ad cap. Eccleſia S. Mariæ* 10. *de conſtitut. num.* 30.

IX.

Neque verò dicas eiuſmodi ſtatuta vnius Regni, Ducatus &c. non præiudicare toti Eccleſiæ, aut vniuerſo ſtatui eccleſiaſtico, ſed duntaxat eccleſiaſticis vnius Regni, Ducatus Priuinciæ. Nam ex dictis ſufficienter percipere potuiſti, in tantùm bonum ſtatus eccleſiaſtici vnius Prouinciæ, præualere bono ſtatus politici illius prouinciæ, in quantum bonum vniuerſale Eccleſiæ præſtat bono vniuerſali politico totius imperij ciuilis.

Deinde, quod magis ad rem ſpectat, ſcire te oportet, priuilegia libertatis & immunitatis non eſſe particularia, aut perſonalia, ſed vt inſinuatum, publica, competentia toti Ordini Clericali quaſi vni perſonæ, ita vt, ſi in vno loco vel perſo-

na

na infringatur, talis violatio cedat in vniuerſalem iniuriam & diſpendium totius Ordinis Clericalis; ita quidem, vt ſi vel vnicus Clericus trahatur ad ſæculare tribunal, vnicus ſubdatur iuriſdictioni ſæculari, vnicus verberetur, iniuria fiat toti ſtatui Eccleſiaſtico. Vnde etiam fit, quod Clericus priuilegio fori & Canonis non poſſit etiam cum iuramento renuntiare, quia non perſonæ, ſed Ordini conceſſum eſt. Textus *in cap. ſi diligenti* 12. *ext. de foro competenti cap. qualiter cap. quando ext. de iudiciis.* Sayrus *in claui regia lib. 2. cap. 7. num.* 10. Duardus *in Bulla Cœnæ lib. 2. can. 14. quæſt. 8. num. 2.* Bonacina *de cenſuris d. 2. quæſt. 4. punct. 2. num. 1.* Layman. *lib. 4. tract. 9. cap. num* 1.

§. II.

Magis adhuc via euadendi præcluditur per bullarem excommunicationem Cœnæ, decimam quintam.

SVMMARIA.

I. Bullaris excommunicatio Cœnæ dacima quinta.

II. Trutinantur verba: Quouis quæſito colore aut prætextu, *& oſtenditur: excludi prætextum boni publici.*

III. Incidunt in hanc excommunicationem, qui quouis modo reſtringunt libertatem Eccleſiarum.

IV. Maior non debet eſſe fauor nobilitatis, quam Eccleſiæ,

cleſiæ, in ijs quæ competunt iure communi.

V. Quæ iuris gentium ſunt, nec banno, nec deportatiõne amittuntur.

VI. Quę ſunt iuris naturalis tantùm permiſſiui, poſſunt lege auferri; ſed tantum ſubditis.

VII. Terminus: vnde quomodolibet *pręiudicatur: omnem euadendi viam pręcludit.*

I.

QVamuis hactenus propoſitæ, tot fundamentis roboratæ, ab omnibus aduerſantium replicis vindicatæ explicationi capituli fin. de immunitate in *6.* reprobantis omnimodis ſtatuta Amortizationis pleniſſimè confidamus, iuuat tamen magis adhuc eam euidentem reddere per bullarem excommunicationem Cœnæ decimam quintam, vt adeò, ſi quæ remanet obſcuritas in Conſtitutione Bonifacij VIII. anteriore *in cit. cap. fin.* illa tollatur per euidentiam legis poſterioris. Fertur autem dicta excommunicatio in eos; *qui ſtatuta vel ordinationes in genere vel in ſpecie, quouis quęſito colore aut prętextu ordinauerint vel publicauerint; vnde libertas Eccleſiaſtica tollitur, ſeu in aliquo lęditur, vel deprimitur, aut quouis modo reſtringitur, ſeu Sedis Apoſtolicę, aut quarumcunque Eccleſiarum iuribus, quomodolibet directè vel expreſsè pręiudicatur.* In hoc cœnæ ferculo aliqui boli ſunt probè maſticandi, vt ſapor, licet fortè multis ingratus, plenè percipiatur.

II.

Primò dicitur: *quouis quęſito colore aut prętextu:*

Sed

Sed quem alium legiſlator ſæcularis in ſtatutis, etiam derogantibus Iuri Eccleſiarum, prætexet, quàm commodum, & vtilitatem publicam regni, aut Prouinciæ? hoc enim ſolo prætextu ſubditis perſuadere poterit legem, ceu iuſtam, & rationabilem, amplectendam eſſe, *Can.2. diſt.4.* & *l.25. ff. de legibus*. Quando itaque bulla Cœnæ Domini ſæcularium ſtatuta derogantia libertati Eccleſiaſticæ, aut eam reſtringentia, ſub quouis colore, aut prætextu emanantia, anathematizat, vel maximè intelligit illa, quæ ſub prætextu boni publici emanant; quandoquidem hic prætextus communis eſt, & generale pallium ſubuertendæ à laicis Eccleſiaſticæ libertatis. Scimus autem leges in ſuis diſpoſitionibus præcipuè attendere ad ea, quæ communiter contingunt.

III.

Secundò dicitur: *Vnde libertas Eccleſiaſtica tollitur, ſeù in aliquo læditur, vel deprimitur, aut quouis modo reſtringitur*: Quibus terminis ſignificatur, non illos dumtaxat in hanc excommunicationem Summo Pontifici reſeruatam ipſo facto incidere, qui ex integro peſſundant iuria, & immunitatem Eccleſiarum, ac Eccleſiaſticarum perſonarum, ſed qui etiam in minimò reſtringunt. Reſtringunt verò non in minimò, ſed ſummè notabili puncto, qui libertatem emendi quæuis mobilia, & immobilia, cuicunque hominum generi iure Naturali, gentium, & Ciuili conceſſam Eccleſijs, & perſonis eccleſiaſticis auferunt, has infra

fra conditionem ſæcularium deprimunt, eccleſijs denegant, quæ priuatis concedunt. Quaſi verò non ſit plus, generalem iuris naturalis, gentium, & communis ciuilis licentiam auferre, quàm derogare in ſpecialibus priuilegiis, Eccleſijs, & perſonis Eccleſiaſticis ſingulari iure conceſſis. Qui poſterius facit, Eccleſiam laicis adæquat, qui prius, infra laicos conſtituit. Felinus *in cap. Eccleſia S. Mariæ num. 60.* Decius *ibid. num.8.* Filliucius *tom.1. tract.16. cap.10. num.270.* ad hanc bullarem excommunicationem, cuius, grauiſſimi in moralibus Auctoris, verba ſunt: *Tertiò dicuntur contra libertatem ea, quæ auferunt Eccleſijs, & eccleſiaſticis perſonis competentia ſecundum libertatem naturalem, & communem de iure Diuino, & humano etiam ſæcularibus, vel prohibent ea, quæ nullo iure Diuino, vel humano perſonis eccleſiaſticis, vel ſæcularibus prohibentur.* Diana *part.1. tract.2. reſol.58.* vbi ait: *ſtatutum quod aufert alicui Clerico ea, quæ iure communi ſibi competunt, eſt contra libertatem eccleſiaſticam*; & infra dicit, eſſe contra libertatem eccleſiaſticam, *quo Clerici efficiuntur deterioris conditionis, quam laici.* Quo euidenter faciunt verba bullæ; *vndè libertas in aliquo deprimitur*: vtique verò deprimitur, quando arctatur in illis, quæ omni iure aliàs cuilibet permiſſa ſunt, & permittuntur adhuc laicis, eccleſijs, & eccleſiaſticis ſecluſis. Bonacina de Cenſuris in bulla Cœnæ contentis *diſp.1. quæſt.16. ſect.2. punct.2. num.4.* qui ſic loquitur: *Statuta, ſeu leges, per quas eccleſiaſtici timi-*

diores

Digitized by Google

diores fiunt libertati Eccleſiaſticæ *aduerſantur, ex Barthol. in* Auth. *caſſa. C. de* SS. Eccleſ. *quem Canoniſtæ ferè communiter ſequuntur in cap. nouerit. de ſentent. excomm. tunc autem eccleſiaſtici dicuntur timidiores fieri, quoties priuantur ijs rebus, quæ iure naturali, gentium, & ciuili communia ſunt ciuibus, aut quoties non permittuntur frui rebus, quibus reliqui ciues fruuntur, & eccleſiaſticorum ſtatui non repugnat, aut quoties fiunt deterioris conditionis etiam in illis bonis temporalibus, quæ communia ſunt omnibus ciuibus, &c.* Eadem legere eſt apud Caſtropalao *part. 2. oper. mor. tract.* 12. *punct. 8. num.* 7. dicente, *Clericos ratione clericatus non deſinere eſſe ciues, & partes reipublicæ, quin omnibus ſæcularibus digniores eſſe, iniuſtè legitur priuilegijs alijs conceſſis privari, ex quo fit contra eccleſiaſticam libertatem eſſe ſtatutum probibens laicis, ne vendant Clericis, aut ab illis emant, quæ ab aliis ſæcularibus emunt, aut vendunt, &c.* Omnia hæc pluribus deducunt, & exornant Suarez *l. 4. de immun. Eccleſiaſtica cap. 22. num. 16. & ſeqq. & cap. 33. à num.* 5. Reginaldus *lib. 9. cap. 23. à num.* 258. Duardus *in Bulla* Cœnæ *Can. 15. quæſt. 19. à nu* 83. *& alibi.* Riccius *in praxi aurea tom. 3. reſolut.* 207. cum cæteris Theologis, & Canoniſtis communiter.

IV.

Hinc, tu mihi nullam in ſimilibus prærogatiuam nobilitatis allega, quaſi ideò poſſit huic ſtatuto prouinciali concedi aliquorum certorum bonorum, videlicet nobilium, ſeu Hoffmarchialium emptio, omnibus verò alijs interdici, conſequen-

ter

ter etiam Eccleſijs, ac Eccleſiaſticis. Sint ſuę generoſæ nobilitati, præſertim antiquæ, prærogatiuæ, honores, & præcellentiæ. Non inuident, ſed ſuſpiciunt, & quantò poſſunt ſtudio promouent iure merito Eccleſiæ. Iſtæ tamen prærogatiuæ, ut auditum, maiores eſſe non debent, quàm Eccleſiarum, & ſtatus Eccleſiaſtici in ijs, quæ iure naturali, gentium, & communi ciuili competunt, uti ſunt emptio quorumcunque bonorum mobilium, & immobilium, acquiſitio hæreditatum, &c.

V. Mira res! Bannitis (olim interdictis igni, & aqua) ac deportatis, qui mediam capitis diminutionem patiuntur, & iura Ciuitatis Romanæ amittunt, *§. cum autem* 1. *inſt. quibus mod. pat. poteſtas ſolu. L. iu amiſſione, §. qui deficiunt in fin. ff. de capite minut.* atque habentur pro mortuis ciuiliter. Mynſing. *ad d. §. num.* 3. ita vt nullum contractum iuris ciuilis celebrare poſſint, videlicet, nec ſtipulari, nec nouare, nec teſtamentum condere, nec ex teſtamento capere, &c. quia hæc, & ſimilia ſunt iuris ciuilis, cuius per bannum, & deportationem incapax eſt redditus *DD. ad cit. §. & tot. tit. ff. de cap. minut.* Iaſon. *in §. ſupereſt. inſtitut. de act. num.* 36. Sichardus *ad L.* 1. *Cod. de hæred. inſtit. num.* 15. Hac Ciuitatis, ac omnium ciuilium priuilegiorum amiſſione non obſtante, nihilominùs vtrique ſaluum manet ius naturale, & gentium, & quæ hiſce iuribus ſunt introducta, aut conceſſa. Hinc Bannitus, & deportatus emit liberè, vendit, ſeruos aliaſque res comparat, quorum vſum ha-

bet

Digitized by Google

bet donec viuit, moriens fiſcum relinquit hæredem. L. *deportatus, ff. de interdictis, relegatis &c.* quæ eſt vna ex legibus ibi reſtitutis. Zœſ. *ff. eodem num.* 3. longè magis in iudicio conuenti poſſunt excipere, cùm exceptio rei ſit defenſio iure naturali permiſſa, argum. *cap. cum inter. de except. & cap. nouit. de iudicijs*. Si ergò Leges Ciuil. eos etiam, quos tanquam Romani Imperij hoſtes è Ciuitate Romana, ſeù Imperio eijciunt, adhuc permittunt frui iuris naturalis, & gentium conceſſione: cur eadem conceſſione, ac libertate ſtatuto ciuili priuentur Eccleſiæ, & perſonæ Eccleſiaſticæ? Cur eorundem deterior ſit conditio, quàm ipſorummet rebellium, & hoſtium Imperij?

VI.

Dixeris fortè; ea quæ ſunt iuris naturalis, & gentium poſitiui non poſſe quidem vlla lege humana adimi, & mutari, *cap. ius naturale diſt.* 1 poſſe verò illa, quæ ſunt iuris naturalis negatiui, & merè permiſſiui, quandò nimirum id exigit publica vtilitas, vt tyronibus iuris notum eſt. Enimuerò ex iſto capite etiam ab ipſis Theologis iuſtificantur leges Ciuiles prohibentes ſubditis venationem, piſcationem, &c. quæ iure naturali merè permiſſiuo competunt. Sed poſſe emere quæcunque bona mobilia, & immobilia eſt iuris naturalis, & gentium ſolummodò negatiui, ſeù permiſſiui: ergò pro exigentia publicæ vtilitatis per legem adimi, & mutari poteſt.

Replica ſanè optima, ſed malè applicata: Debuiſ-

buiſſet dici; ea quæ ſunt iuris naturalis merè permiſſiui, poſſe pro exigentia publicæ vtilitatis adimi ſubditis, neutiquam verò non ſubditis: cùm nemo poſſit ferendo leges excedere terminos ſuæ iuriſdictionis eamuè extendere in non ſubiectos L. *vlt. de iuriſdict. omn. iud.* Hinc perlubenter admitto poſſe hanc facultatem naturalem emendi quæcunque bona mobilia, & immobilia ex graui cauſa, v.g. pro ſingulari à nobilitate, Republica, vel Principe accepto, vel accipiendo beneficio, quoad vnum alterumuè regnum, vel vnam alteramuè prouinciam Eccleſiaſticis à Summo Pontifice reſtringi, non poſſe autem reſtringi, aut omninò adimi à Magiſtratu ſæculari facit euidenter defectus iuriſdictionis in Eccleſiaſticos. Cardinalis de Luca, *de alienat. & contract. prohibitis diſcur.* 39. *num.* 12. Sanè Princeps condens ſtatutum abrogans aliud ſtatutum ſuum, quo Clericis quid ſpecialis priuilegij antea contulerat, inualidè agit, & peccat contra immunitatem Eccleſiaſticam. Martha *de iuriſdict. par.* 4. *cent.* 1. *caſu* 52. *nu.* 6. Azor. *par.* 1. *lib.* 5. *cap.* 13. *quæſt.* 5. Alterius *de Cenſuris tom.* 1. *diſput.* 16. *lib.* 5. *cap.* 6. Diana *par.* 1. *tract.* 2. *reſ.* 60. Nequit enim Princeps non ſubditum priuilegio abſolutè conceſſo, ne quidem ex cauſa priuare. Felinus *in cap. Eccleſia S. Mariæ ext. de conſtit.* longè magis ergò inualidè aget, & peccabit contra immunitatem Eccleſiaſticam reuocando libertatem, quam non ipſe, ſed natura, & gentes dederunt, Imperatores Chriſtiani ſtabilierunt, & tandem

Sum-

Summi Pontifices decretis ſuis confirmarunt, atq; ſeueriſſimis Sanctionibus à violatione immunem fecerunt.

Tertiò dicitur: *Vnde Eccleſiarum iuribus quomodolibet, directè, aut indirectè, tacitè, vel expreſsè præiudicatur*. Quæ verba omnem penitùs euadendi viam præcludunt, cùm omninò ſint vniuerſalia, contineant omne omninò præiudicium, ſiuè explicitè, ſiuè implicitè, ſiuè ſecundùm verba, ſiuè ſecundùm effectum legis per ciuilia ſtatuta illatum: ſiuè directè, mandando, aut prohibendo Eccleſiaſticis, ſiuè indirectè, mandando, aut prohibendo laicis derogent libertati Eccleſiarum, ac perſonarum Eccleſiaſticarum; quia nimirum taciti, & expreſſi eadem eſt ratio. *L. cum quid, ff. ſi certum petatur*. Argum. *cap. quanto 26. ext. de priuilegijs*, & quod vna via prohibitum, altera non debet eſſe conceſſum. Argum. *L. 9. §. non ſolùm, ff. ad Senatus cap. Maced.* Concidit itaque præcipuum Illuſtriſſimi adoerſarij ex Baldo, Gailio, Zæſio, Signorolo petitum fundamentum, quòd in acquirendis valeat ſtatutum laicum in præiudicium Eccleſiæ; Si enim hac bullari excommunicatione prohibet Pontifex vllo modo iuribus Eccleſiarum præiudicari, vllo modo iura Eccleſiarum deprimi, reſtringi: vtique etiam prohibet præiudicari iuri in acquirendo, cùm hoc ſit inter potiſſima, & ipſo iure naturali, & gentium conceſſum. Barboſa *in collect. DD. ad cap. Eccleſia S. Mariæ num. 30.* Collegium Bononienſe *in reſponſ. pro libert. Eccl. à n. 18.*

Lon-

Longè magis in purum putum nihilum concidit, quòd pro ratione adducit *ext. de Succeſſionibus ab inteſt. num.* 10. Zœſius; videlicet, ideò talia ſtatuta laicali iuſta eſſe, quia non directè contra Ecc leſiam, aut Eccleſiaſticas perſonas, nec ſuper rebus Eccleſiaſticis ſunt conceptæ, ſed profanis tantùm, & quidem in bonum publicum; quoniam bulla Cœnæ conformiter *ad cap. fin. de immunit. in 6.* Item *ad cap. quantò ext. de priuilegijs* in terminis terminantibus non minùs damnat indirectè, quàm directè cauſatum præiudicium. Sed non iuuat hanc toties à nobis iam coctam crambem denuò recoquere.

§. III.

Num ſtatuta Amortizationis propterea non violent immunitatem, quia multa licent Reipublicæ cauſa, quæ aliàs non licerent?

SVMMARIA.

I. Ex cauſa vtilitatis publicæ multa licent in ſubditos, neutiquam in non ſubditos.

II. Bonum, aut neceſſitas Reipublicæ non ſunt modus conferendi iuriſdictionem.

EXiſtimabamus nos tandem immunes futuros ab inani aduerſantium vexa, quam formant ex bono publico, & vtilitate Reipublicę. Sed Ecce! redit

redit ad inſtat impudentis muſcę, quę licèt ſæpius abacta non deſiſtit de nouo in frontem inſilire. Video quippe mordicus adhuc inhæreri in diſcuſſione problematica huic principio, quod ſtatuta amortizationis debeant eſſe licita, quandò ob vtilitatem publicam conduntur, & addi ex Andrea Gailio, *quod multa ob neceſſitatem publicam, vel fauorem reipublicæ concedantur, quæ aliàs non concederentur*. Quod vltimum breuiter nobis diſcutiendum eſt, vt ne quidem vmbra remaneat, qua videatur regi poſſe clara conſtitutio *capituli fin. de immunit. Eccleſiarum in 6.*

I.

Verum itaque eſt, quòd multa ob fauorem publicum, & neceſſitatem concedantur, quæ aliàs non concederentur, quatenus loquimur de ſubditis; quorum dominio, proprietati, & Iuribus ex iuſta, & vrgente cauſa, videlicet ob publicam vtilitatem, poteſt Princeps ſtatuendo, & decernendo præiudicare, vnique ius ſuum auferre, & alteri dare. Felinus *in cap. 7. num. 26. & 33. de conſt.* Abbas *ibidem num. 11. & 12.* cum DD. communiter. Inde natum eſt tritum axioma, *quòd lex ſit magis domina rerum noſtrarum, quàm nos ipſi ſimus*. Aliud verò eſt, quando loquimur de non ſubditis, quales reſpectu laicorum ſunt omnes Eccleſiaſtici. Quia ad valorem ſtatuti non ſufficit præcisè iuſta cauſa neceſſitatis, vel vtilitatis, ſed pro primo fundamento requiritur iuriſdictio, ſiuè poteſtas ſtatuendi, quam nulla neceſſitas, etiam grauiſſima, tribuere poteſt

F non

Digitized by Google

non habenti, adeoque nec laicis poteſtatem diſponendi de Eccleſijs, vel perſonis Eccleſiaſticis, earumque bonis, præſertim in præiudicium earum. Abbās *in cap. quod Clericis 9. ext. de foro competenti num.*40. & *in repetit. cap. Eccleſia S. Mariæ* 10. *ext. de Conſt. num.* 37. Felinus *ibid. num.*89. Suar. *de immunit. Eccleſ. cap.*31.*num.*8. Layman. *l.*4.*tract.*9. *cap.*4.*num.*3.

II.

Inauditum ſanè in iure eſt, rationem boni publici, vel neceſſitatem dare iuriſdictionem, ſeù eſſe modum acquirendi iuriſdictionem, vbi nulla ſubeſt, cùm hæc, ſi ordinaria eſt, ſolummodo detur, vel à lege, vel à Principe ſupremo, vel à conſuetudine legitimè præſcripta; Si verò extraordinaria, ſeù delegata à Iudice ordinario. Argum. *cap. duo ſimul 9. ext. de officio iudicis ordin.* Ceterùm iam notauimus, inanem, & inaniſſimam eſſe omnem exemptionem Eccleſiaſticarum perſonarum à iuriſdictione laicorum, ſi hanc ſibimetipſis arrogare poſſunt laici prætextu cuiuſcunque vtilitatis, aut neceſſitatis publicæ. Quantùm verò, & quo iure obligentur Clerici, in graui, grauiſſima, aut extrema neceſſitate Reipublicæ, ſi bona ſæcularium non ſufficiant, pro ea auertenda, contribuere? an in tali caſu collectatio debeat fieri per Magiſtratus ſæculares, an verò per Eccleſiaſticos? & ſimilia hìc non diſcutimus, cùm apertè verſemur extra talem caſum neceſſitatis Reipublicæ, qui-

Digitized by Google

quinimò incertum ſit, an reuera hic vlla verſetur patriæ noſtræ notabilis vtilitas, vt ex dicendis conſtabit.

§. IV.

Num principium aduerſariorum ſuperiori, §. reiectum ſolidetur per aliud duplex principium. Eccleſia, & Reſpublica pari paſſu ambulant. Item *Eccleſiæ conditio debet hìc eſſe deterior, quia certat de lucro captando, Reſpublica de damno vitando?*

SVMMARIA.

I. Quomodo principium, vtilitatis Reipublicæ, ſolidare nitantur aduerſarij.

II. Primus error diſcurſus aduerſi eſt ſuppoſitum de prætenſione priuilegij in hoc puncto.

III. Alter, quod intelligatur reciprocè: Eccleſia, & Reſpublica pari paſſu ambulant.

IV. Non intelligitur reciprocè: Reſpublica, & Eccleſia gaudet iure minorum.

V. Eccleſia in præſenti non certat de lucro captando.

VI. Pauperibus *nobilibus melius eſt habere Eccleſiam emptorem bonorum nobilium.*

VII. Horum, non diuitum nobilium, præcipua cura habenda à Republica.

VIII. Nobilitati antiquæ nulla notabilis vtilitas ex decre-

decreto Amortizationis accreſceret.

IX. *Oſtenditur, quomodo* Eccleſia *de damno vitando certet, proindè ex hoc ſolo capite præualeat Reipublicæ.*

I.

NEcdum acquieſcunt tam claris, ac manifeſtis dictis noſtris, ſimul & reſponſionibus ad replicas ſuas aduerſarij, ſed inter illos illuſtriſſimus Author Diſcuſſionis immerito aſſertæ problematicæ principium vtilitatis publicæ, ſeu quòd Reipublicæ cauſa valeat edi ſtatutum Amortizationis à Principe laico ſequenti duplici alio principio ſtabilire conatur: ſic ait: *Certè cum Eccleſia, & Reſpublica pari paſſu ambulent, & eodem fauore gaudere dicantur.* Barboſa de axiomat. lib. 4. cap. 11. num. 6. authen. ſi minus, C. de SS. Eccl, *& iiſdem priuilegiis vti.* Oldendorp. lib. 1. conſil. Marpurg. 5. num. 9. *Non poterunt ſtatus Eccleſiaſtici in acquiſitione bonorum immobilium prætendere contra* Rempublicam *aliquod priuilegium, quæ pariter priuilegia eſt, præſertim cùm Reſpublica certet de damno vitando, &* Eccleſia *de lucro captando.*

II.

Verùm diſcurſus multis ex capitibus euidenter claudicat. Primò, quia in eo ſupponitur, Eccleſiam, quæ ſibi vendicat libertatem comparandi quæcunque immobilia, prętendere quoad hoc punctum aduerſus Rempublicam priuilegium, & ſic priuilegiatum vti aduerſus pariter priuilegiatum

ſuo

Digitized by Google

ſuo priuilegio, contra tritiſſimum iuris axioma. Quaſi verò velle vti communi omnibus conceſſione iuris naturalis, gentium, & ciuilis, ſit prętendere priuilegium. Nunquid, qui prima iuris elementa primioribus labijs guſtarunt, norunt, *Priuilegium eſſe Ius ſingulare in certæ perſonæ, aut cauſæ gratiam à* Superiore *conſtitutum; vel, eſſe priuatam legem aliquid ſpeciale concedens, &c. DD. ad tit. ext. de priuilegiis, & exceſs. priuil.* Ecquodnam autem, dic amabo! hic ius ſingulare? quæ ſpecialis Lex ſpeciale quid concedens? Prætenditur præciſè communis contrahendi libertas, quam nec ipſis ſcurris, rabulis, & lixis iura denegant. Profectò non cohæret hoc ſuppoſitum cum ingreſſu diſcuſſionis problematicæ, vbi Illuſtriſſimus Author habet: *Nos rem ipſam aggredientes ante omnia præmittimus, hactenus in prouinciis noſtris Bauaricis cuiuis liberum fuiſſe ſua bona, tam mobilia, quàm immobilia, quibuſcunque perſonis, Eccleſiis, Monaſteriis, Collegiis, hoſpitalibus, & communitatibus tam per contractus inter viuos, quàm per vltimas voluntates relinquere, exceptis ſolis feudalibus, quæ à multis ſæculis in manus mortuas alienari prohibita fuerunt.* Si ergò hactenus *cuilibet* alienare, ſi *cuicunque perſonæ* emere, & comparare bona immobilia ſine diſcrimine licuit, quomodo Eccleſia, ac Status Eccleſiaſt. in prętendendo hanc communem libertatem, priuilegium prætendunt.

III.

Secundò claudicat diſcurſus; quia receptam DD. ſententiam, ac iuris axioma: *Eccleſia, & Reſpu-*

blica pari paſſu ambulant: ſiniſtrè intelligit, quia intelligit reciprocè, quaſi ſonaret: *Sicut Eccleſia gaudet omnibus priuilegiis, & prærogatiuis Reipublicæ*: ita viciſſim: *Reſpublica gaudet omnibus prærogatiuis Eccleſiæ*; quod omninò falſum eſt. Propterea rectè Gloſſa *in l.fin.C.de SS.Eccleſijs* (ex qua lege, non item ex *authent.ſi minus*, vtpotè nec in hoc, nec vllo alio titulo Codicis extante, prætactum axioma Iuriſperiti deſumunt) in principio ponit ſequentia verba: *Nota primò ex hac lege in principio ſecundùm Iaſonem hic; quod Eccleſia, & Ciuitas æquiparantur, & ad hoc quotidiè allegatur iſte textus. Et intellige verum, quantum ad tres caſus hic poſitos in textu: aliàs æquiparatio non procedit.* Ecce! quo modo Gloſſa æquiparationem Reipublicæ cum Eccleſia tantùm admittat in tribus caſibus in *cit.l.fin.* expreſſis videlic. in præſcriptione centum annorum, qua circumſcribuntur actiones perſonales earundem, item in acquiſitione dominii citra traditionem poſſeſſionis, & tertio in hypotheca competente in rebus relictis, emptis &c. In his ergò non verò in aliis admittit Gloſſa æquiparationem Reipublicæ ad Eccleſiam. Probè nimirum nouit Gloſſa, Eccleſiam eſſe, & in iure dici communem matrem (atque ſic etiam Reipublicæ) Caput, Cardinem, Dominam. Cardinalis Hoſtienſis *in Clemen.1. de ſumma Trinit. colum. 1. in fine*; vndè primas eidem cedere filia, & ſubdita Reſpublica debet. Nouit, quòd Eccleſia ſit maior Imperatore. Bald. *in l.eam, quam C.de fideicommiſſis colum.*11. Sic, vt veritatem

vnico

Digitized by Google

vnico, inter centena alia, exemplo commonſtrem. Ex imperfecto, omnibus ſolemnitatibus iuris ciuilis deſtituto teſtamento Eccleſia hæreditatem capit *cap. cùm eſſes, cap relatum* ext. de teſtamentis. Non item Reſpublica, aut Imperator: per textus *in l. 3. C. eod. Ex imperfecto teſtamento, nec Imperatorem hæreditatem vindicare poſſe, ſæpè conſtitutum eſt.*

IV.

Simili ferè modo Eccleſia dicitur gaudere iure pupillorum, & minorennium. Bartolus *in l. pupillorum, ff. de rebus eorum, qui ſub tutela &c.* Item Eccleſia habetur loco filij: Baldus in *auth. niſi rogati, C. ad Senatus cap. Trebell. colum. 4.* Eodem iure dicitur etiam vti Reſpublica. Bartolus *in l. cùm rem. C. qui potiores in pignore habeantur.* Speculator *de reſtitut. in integrum, §. 2. verb. idem quoque.* Nilominus error foret manifeſtus, ſi quis hæc vellet intelligere reciprocè; hoc vel illo modo: Eccleſia, & reſpublica gaudent iure pupillorum, minorennium, & filiorũ. Ergo pupilli, minores, filij gaudent etiam iure Eccleſiæ, ideoque non habet Eccleſia priuilegium, quòd non habeant pupilli, minores, filij. Conſequenter nec iſthæc intelligenda ſunt tam crudè reciprocè. *Eccleſia fraternizat cum Imperio. Eccleſia gaudet Iure Ciuitatis: Eccleſia & Reſpublica pari paſſu ambulant:* & ſi quæ ſunt ſimilia iuris axiomata, vt propterea omnes exemptiones, prærogatiuæ, priuilegia Eccleſiæ competentia etiam Reſpublica habeat.

Digitized by Google

Quòd ſi verò demus (non concedamus) Rempublicam omnibus, & iiſdem priuilegijs frui, quibus gaudet Eccleſia : nihilominus dicendum foret, Eccleſiam in concurſu priuilegij, & exemptionis longiſſimè præualituram reipublicæ ; quia Eccleſia priuilegiata, & exempta eſt iure Diuino Tridentino *ſeſs.*35*.de reform.cap.*20*.& cap.*4*.de cenſibus in* 6. Reſpublica verò merè iure humano, & Cœſareo. *l.fin.C.de SS.Eccleſiis*, argumento eorum, quę pro certo tradunt DD. circa Senatuſconſultum Macedonianum, quòd videlicet filiusfam. natu maior non vtatur exceptione Senatuſconſulti aduerſus minorem, ſi ille mutuauit, cùm filij priuilegium & exceptio veniat iure tantùm poſitiuo, minoris verò fundatum ſit quodammodo in iure naturali, & imbecillitate iudicij, & hinc alteri præualere debeat, per textum *in l.* 11. §. *fin. ff. de minoribus*. Ex eadem ratione, quia videlicet priuilegium minoris fundatur in naturali æquitate, mulier non vtitur Senatuſconſulto Velleiano aduerſus minorem apud quem interceſſit, text. *in l. ſi apud* 12 *ff. eodem*. Sed ceſſemus ab horum ampliori deductione, quoniam non ſubſiſtit ſuppoſitum, nimirùm, quòd Eccleſiæ, aut Eccleſiaſtici in præſenti aduerſus Rempublicam ſpeciale priuilegium prætendant.

V.

Tertiò claudicat diſcurſus, quòd Eccleſia dicatur certare de lucro captando, reſpublica verò de damno vitando. vt adeò huius, quàm illius debeat

Digitized by Google

eſſe melior conditio: Prorſus enim inſolitum eſt in jure, vt is, qui contractum onerоſum emptionem & venditionem, permutationem &c. celebrat, & tantum ſupponitur expendere, quantum res valet, quam acquirit, dicatur lucrum captare, de lucro certare, lucrari &c. Hæc in jure ſonant rem gratis, ſine expenſis, ſine viciſſitudinario onere, accipere, aut accepturum eſſe. Gloſſa ſingularis *in l. per diuerſas C. mandati. & l. illud C. de collation.* Angelus *in verb. lucrum verſ. 34. & 36.* Videretur forſan majorem veri ſpeciem habiturum iſtud dictum, ſi ſtatutum noſtræ patriæ, de quo potiſſimùm laborat Author Diſcuſſionis problematicæ, decerneret, ne amplius bona immobilia nobilia per titulos lucratiuos, donationes, legata &c. transferantur in Eccleſias, non item quando vnicè prohibet alienari per actus onerоſos inter viuos v. g. emptionis, permutationis, &c. Fatetur certè ipſemet Illuſtriſſimus Author, talia bona nobilia venalia præ aliis emptoribus pluris licitari Monaſteria & Eccleſias, & vltra condignam æſtimationem ſoluere. Qua igitur ratione certant de lucro captando, qui plus ſolent in ſimilibus contractibus expendere, quàm accipiant?

VI.

Gratulantur ſibi obærati nobiles, quibus cedendum eſt bonis ſuis, ſe poſſe habere Monaſterium aliquod, Eccleſiam, aut Collegium emptorem: vtpote à quo aut recipiant integrum pretium paratum, aut partiales annuas ſolutiones (*latirli-*

che

che Friſten) plenariè aſſecuratas, præterquam quòd ferè ſemper accipiant pretium abundantius, quàm accepturi fuiſſent à ſæcularibus, & alijs, itidem nobilibus, emptoribus. Ex quo conſectaneum eſt, pauperibus nobilibus, eorum vxoribus, & liberis peſſimè conſultum fore, ſi libertas vendendi bona nobilia Eccleſijs auferretur. Certant hi de damno vitando, quando cum jactura longe majoris pretij, quod accepturi fuiſſent ab emptrice Eccleſia, neceſſitantur vendere ſæcularibus pro longè minori, plerumque non parato, & ſub minutis ſolutionibus præſtando pretio. Horum itaque miſerorum nobilium, eorumque vxorum, & liberorum præ omnibus habenda eſt ratio, non item illorum, qui certant de acquirendo, quiue depauperatorum bonis, viliori pretio comparatis, diteſcere cupiunt.

VII.

Si ſincerè colloquar prudenti nobili, qui fortè & ipſe modò ambobus pedibus in eam ſententiam it, quòd omninò nobilitati ſummoperè conducat, ab emendis bonis nobilibus Eccleſias & Eccleſiaſticos ſecludi; atque ex ipſo quæram: caſu, quo ad eam inopiam redigeretur (ſicut humanum eſt, & non rarò contingit) vt cogeretur nobile bonum ſuum vendere, an mallet habere emptorem Eccleſiam pluris licitantem, ac in parata, vel ſaltem in annuis portionibus ſecuriſſimè ſoluentem, quàm nobilem minoris licitantem, & per minutas incertas ſolutiones ſibi pretium præſtantem! Credo talem

lem reſponſurum; omninò ſe pro ejuſmodi caſu (quem Deus auertat!) optaturum fore Monaſterium aut Eccleſiam emptorem, quoniam ſibi & liberis longè ſalubrius eſſet futurum. Rectè: Ergò quòd in ſimili miſeriæ caſu vellent ſibi fieri, faciant & alijs; ac relinquant antiquam libertatem vendendi ſiue nobilibus, ſiue Eccleſijs, prout cuique venditori meliùs viſum fuerit. Ex quo diſcurſu luculenter patet, penitùs incertum eſſe, vtrùm patriæ noſtræ nobilitati magis conductura ſit prohibitio alienationis bonorum nobilium in Eccleſias, quàm relicta alienationis libertas; etiamſi de cætero daremus tale ſtatutum Eccleſiaſticæ libertati non repugnare. Ex parte enim venditionis bonorum nobilium verſatur depauperatæ nobilitatis indigentia, exigens quam optimum emptorem, qualem eſſe Eccleſiam perlubenter fatetur illuſtriſſimus Author. Ex parte verò emptionis dicitur verſari bonum nobilitatis opulentioris, cujus intereſt ſibi acquirere bona nobilia venalia, & quidem minori pretio, quando ſtatuto excluſæ erunt Eccleſiæ. Tuum jam erit, amice Lector, impartiali animo judicare, ecquodnam bonum præ altero attendendum ſit? Scio tibi altè animo impreſſam eſſe indubitatam illam DD.; in dubio (ſi tamen hic dubium eſt) fauendum eſſe pietati, ſeu ſententiæ, quæ magis inclinat ad pietatem & miſerationem; item in dubio præcipuam debere curam eſſe miſerabilium perſonarum. Vix autem excogitari poteſt perſona miſerabilior, quàm nobilis depau-

pauperata, antiqui præſertim ſtemmatis & nominis.

Neque verò illud ſilentio prætereundum eſt, quòd in Eccleſijs Cathedralibus, Collegiatis & Monaſterijs ſuſcipiantur & alantur perſonæ nobiles, ſicque quodammodo nobilitas in filijs ſuis & poſteris frui æternùm poſſit bonis nobilibus, eò per contractus deuolutis. Silentio prætereundum nòn eſt, quòd ejuſmodi bona, ſi ab Eccleſiis & Monaſteriis comparentur, veniant ad loca, in quibus antiqua nobilitas auita monumenta, & majorum ſepulturas habet. Silentio prætereundum non eſt, quòd Eccleſiæ & Monaſteria nobilitati omnem honorem, reuerentiam, charitatem & hoſpitalitatem exhibeant. Malint ergò in Eccleſiaſticorum (quin ipſiuſmet Dei) manus venire bona nobilia, quæ ex neceſſitate alienantur, quàm in aliorum, vbi ſimiles reſpectus locum non habent.

VIII.

Taceo, quòd ſplendor, qui patriæ noſtræ, aut cuicunque alteri prouinciæ, ex nobilitate accedit, maximus accedat ex auita nobilitate, ex antiquis equeſtribus, Cathedralium Ecclebarum & torneamentorum capacibus familiis (altenſtiffes vndurniermaſſigen Goſchlechtern) non admodùm æſtimabilis verò ex nouiter creata, vix heri, quibuſcunq; demum axiliis, nata nobilitate. Quotidianâ autem experientiâ docemur, raram eſſe penes antiquam nobilitatem emptionem bonorum nobilium, omnia verò bona venalia antiquorum ſtemmatum

ad

ad ſe trahere nouiter creatam nobilitatem, nec inuidemus incrementum, modò etiam Eccleſiis non inuideant. Facillimum furet in hujus rei teſtimonium ipſas numeroſas equeſtris Ordinis gentilitias domus(ſtammen hauſer)quas intra pauca decēdia comparauit, deſignare, niſi timeremus, cantilenam omnibus notam, ac à multis depauperatis antiquis nobilibus cum lacrymis decantatam, recantare. Septuaginta nobilia bona, (Hoffmarchen) hoc ſæculo nondum decurſo ad loca pia, Eccleſias, & Monaſteria, conſequenter ad Deum, cui conſacrata ſunt, inter calamitoſa belli tempora deueniſſe lamentatur illuſtriſſimus Author ſæpe memoratæ Diſcuſſionis problematicæ. Sed longè plura ſunt, quæ ſerenæ pacis temporibus, medietate ſæculi necdum expleta in hujuſmodi recens creatorum nobilium nouiter priuilegiatas manus peruenerunt. Quod propterea ipſis perfacile fuit, quia opima Reipublicæ munia obtinent, ex plurium pinguium officiorum, quæ ſimul poſſident, ſalariis & accidentibus vehementer ditantur, & ipſa, qua pollent, officiorum authoritate quoſcunque alios emptores, ſiue Eccleſias, ſiue antiquos Nobiles ſubmouent; præſertim cùm ſpes ſit (vtinam non ſæpiſſimè vana!) miſeris ceſſoribus pro ſe, vxoribus & liberis eorundem promotione & fauore fruendi. Exigere autem hanc nouam nobilitatem, vt in ſui fauorem Eccleſiæ priuentur antiquiſſima, ſibi coæua, à jure Naturali, Gentium & communi Ciuili libertate emendi nunquam

cre-

Digitized by Google

crediderim, cùm potiùs omni modo præſumam; in vicem debitæ gratitudinis erga benigniſſimum Numen, quod de ſtercore erexit pauperes, & collocauit eos cum Principibus, fore maximopere ſollicitam de antiqua libertate Eccleſiæ, imò ipſis Dei juribus conſeruandis.

Procul dubio quam plura alia media ſuppetunt, quibus ſuccolletur antiquæ, apprimè honorandæ nobilitati, eaue præſeruetur à ruina. Sed hæc noſtrum non eſt præſcribere Reipublicæ, vt pote, quorum vnica eſt cura oſtendere, legem Amortizationis immunitati Eccleſiaſticæ repugnare, & refragari ſacris Canonibus, quibus hæc firmata eſt, vt vt occaſio tulerit oſtendendi, ne quidem fructuoſam patriæ noſtræ futuram. Verum reuertamur, vnde longiori nonnihil diſcurſu digreſſi ſumus.

IX.

In illis porrò terminis verſamur, vt poſthac ſola reſpublica, ſola nobilitas facultatem habeat emendi bona immobilia & Nobilia, non habeat ampliùs Eccleſia: Amittat itaque primæuam facultatem juris Naturæ & Gentium, ſummopere æſtimabilem Eccleſia, eam verò ſibi priuatiuè acquirat Reſpublica ac nobilitas. Ergò de jactura, de damno, de priuatione boni ſibi omni jure competentis certat Eccleſia, de ejus verò priuatiua acquiſitione certat Reſpublica. Ergo euidenter Eccleſia de damno vitando, reſpublica de lucro captando certat. Ergò euidenter vel ex hoc ſolo capite

pite

pite melior eſt conditio Eccleſię, quàm reipublicę. Profectò niſi ſciremus inaniſſimis hujuſmodi Sophiſmatibus, ceu Delphicis oraculis, multos incautos ſeduci, atque in tranſuerſum agi, nequidem operę pretium duceremus vel verbulo ad tam debilia argumenta reſpondere.

§. V.

Legem Amortizationis libertati Eccleſiaſticæ repugnare oſtenditur etiam ex Iure Ciuili.

SVMMARIA.

I. Ethnici Imperatores collegia Chriſtianorum habebant pro illicitis.

II. Conſtantini Magni Sanctio correctoria in L. 1. C. de SS. Eccleſiis.

III. Impiæ Leges Arcadij reuocantes ſanctionem Conſtantini ab Authore diſcuſſionis approbantur.

IV. Aliæ leges contra immuuitatem Eccleſiarum latæ ab Arcadio.

V. An in L. 20. C. de SS. Eccleſiis *Arcadium fuerit ſecutus Iuſtinianus.*

VI. An in ſua pragmatica Sereniſſimus Elector Ferdinandus.

VII. Lex 12. C. de SS. Eccleſiis *damnat leges iniquas Arcadij.*

VIII. Similiter famoſa Authentica caſſa C. de SS. Eccleſiis.

IX.

Digitized by Google

IX. Rejicitur prima reſponſio Authoris *ad dictam* Au-*thenticam.*

X. Rejicitur pariter ſecunda & tertia.

XI. Concluditur ex vtroque jure pro communi ſententia negante valorē & juſtitiam Decreto **Amortizationis.**

LAborauimus hactenus totis viribus tum probando, tum rejiciendo, vt commonſtraremus manifeſtè, Legem amortizationis repugnare immunitati eccleſiaſticę, ac è Diametro contrariari conſtitutioni Pontificię *in cap. fin. de immunit. Eccleſiarum in 6.* Inſpiciamus nunc quoque jura Ciuilia, & videbimus, quàm mirè conſonent hoc in puncto cum ſacris Canonibus, & vnà cum ijſdem reprobent controuerſam legem.

I.

Ante omnia verò cum Illuſtriſſimo Authore Diſcuſſionis problematicæ aduerto, quod etiam aduertam infra ad Epiſtolam Diu. Ambroſij, quòd ante Conſtantinum Magnum Ethnici Imperatores & Magiſtratus Collegia Chriſtianorum judicauerint illicita, ita vt nec legata, nec hæreditates ipſis relinqui potuerint, ſicuti aliis Collegiis illicitis L. *Collegium.* 8. *C. de hæred. inſtit.*

II.

Verùm ſuſtulit has iniquiſſimas leges Conſtantinus Magnus ad fidem Catholicam conuerſus, & L. 1. C. *de ſacroſ. Eccleſiis* ſanciuit, *vt habeat vnuſquiſque licentiam ſanctiſsimo Catholico, venerabilique*

Con-

Digitized by Google

Concilio decedens bonorum, quod optauerit, relinquere, & non ſint caſſa judicia ejus. Sicque liberam ſtatuit poteſtatem inſtituendi eccleſiaſticos in quibuſuis bonis, & legandi eis quæcunque bona ſiue mobilia, ſiue immobilia; conſequenter multò magis conceſſit facultatem quæcunque bona ſiue mobilia, ſiue immobilia donandi, aut per contractus inter viuos pro pretio alienandi in Eccleſias & eccleſiaſticos. Quin non opus erat hanc facultatem concedere, vtpote jam ante habitam inter Ethnicos Imperatores, vti patet manifeſtè ex decretis Pij I. & Vrbani I. de quibus infra ad objectionem, ex ſacra Scriptura formatam. Laudat hanc Conſtantini ſanctionem Illuſtriſſimus Author Diſcuſſionis; Dum ait: *Fuit igitur iſta permiſsio ſummopere vtilis & neceſſaria. Cùm illo tempore Eccleſiæ regerentur juxta inſtitutionem Apoſtolorum, & illa, quæ offerebantur, eccleſiaſtici recipiebant inſtar ſtomachi, qui ciborum partem ſibi minimam retinet, majorem verò in cætera membra indigentia diſtribuit. Eccleſiaſtici enim illi, quamuis multa poſsidentes, pauca tamen quoad vitam, & veſtitum ſibi retinebant, reliqua verò in eleemoſynas diſtribuebant: quæ cauſa fuit, vt bona ipſorum cumularentur, quorum illi quaſi procuratores commune Chriſtianorum & publicum bonum, & præſertim curam pauperum habebant, & communibus neceſsitatibus opitulabantur.* Hactenus laudabiliter de Sanctione Conſtantini & Eccleſiaſticis Author.

III.

Mox tamen aliter intonat. *Quamprimùm autem*

tem ſubſequentibus annis pia illa conſuetudo abolita fuit, ſibi retinentibus eccleſiaſticis bona in ſe, & Eccleſias delata, adeò facultates earum creuerunt, vt nulla earum cum reliquo reipublicæ corpore proportio videretur, & propterea ad debitam menſuram meritò redigendæ, quemadmodum etiam publicis legibus redactæ ſunt; centeſimo enim circiter anno poſt factam illam Conſtantini Magni licentiam Imperator Arcadius publico edicto prohibuit Eccleſijs quidquam relinquere L. 20. *&* 27. *Cod. Theodeſiani de* SS. *Eccleſijs*, quas leges imitatus videtur Iuſtinianus *in* L. 20. C. *de* SS. *Eccleſijs*.

Amice Lector, nota per amorem Dei! verba *meritò redigendæ; & quemadmodum etiam publicis legibus redactæ ſunt*. Vtique meritò? Nunquid hiſce verbis non obſcurè ſed apertè approbat Illuſtriſſimus Author iſtas iniquiſsimas contra libertatem Eccleſiaſticam ab Arcadio latas leges? Proh! rem in auditam. Inauditum ſanè, quòd huiuſmodi Decreta Arcadii vnquam quis Catholicorum approbare auſus fuerit. Inauditum ſanè, quód vllus vnquam etiam hæreticorum ſcriptorum generalem legem, nihil ampliùs relinquendi Eccleſiis, approbarit. Inauditum ſanè omnibus retrò ſæculis, dicere & docere, *meritò* iterum à Catholicis Imperatoribus redigi Eccleſias & eccleſiaſticos ad ſtatum priſtinum Ethniciſmi, quo habebantur pro Collegiis illicitis, quibus nihil relinqui poſſet. Omnia inaudita; & proh dolor! Sunt ſenſa & verba viri & Doctoris Catholici; Sunt ſenſa,

quæ

quæ non paucis Catholicis arrident, & quaſi diuina oracula placent.

IV.

Miror itaque vehementer primò, quòd Illuſtriſsimus Author, qui iniuſtiſsimas has leges probat, non pariter approbet illas alias, quas contra immunitatem Eccleſiaſticam ad concilium nequiſſimi Eunuchi Eutropii Arcadius tulit (de quibus Eminentiſsimus Cardinalis Baronius tom. 5. annal. Eccl. ad annum 398.) Vi harum confugientes ad eccleſias iubentur à ſæcularibus Magiſtratibus vi extrahi, quin ab ipſis ſacris aris auelli. Sin dicas, non eſſe paritatem, dico tibi eſſe maximam. Nam etiam in iſtis legibus bonum publicum prætendit Imperator, & quilibet alius Princeps prætendere poſſet; nempe; quia intereſt delicta ad aliorum terrorem non manere impunita; item quia eccleſiaſtica immunitate multi abutuntur, & eius ſpe liberiùs peccant; ſicut prætenditur bonum publicum pro tollenda & reſtringenda libertate eccleſiæ in acquirendis bonis, & ſicut dicitur, multos eccleſiaſticos bonis eccleſiarum abuti. Quemadmodum ergò nemini vnquam in mentem venit, poſſe ex hiſce prætextibus Principes ſæculares priuare eccleſias aſylo, quod (ſiue dein à Deo, ſiue ab Imperatoribus aut Pontificibus cum totius populi Chriſtiani aſſenſu conſtitutum fuerit) tranſiit in plenum dominium eccleſiarum, exemptarum ab omni Iuriſdictione ſæculari. Ita ex ſimilibus quibuſcunque prætextibus non poſ-

ſunt Principes ſæculares eccleſias & eccleſiaſticos priuare ſuis iuribus & libertatibus aliis, cùm tranſierint in Dominium eccleſiarum & eccleſiaſticorum, qui, quæue, gaudent omnimoda exemptione á laicorum iuriſdictione.

V.

Miror vehementer 2. poſt citatas impiiſsimas Arcadii leges ab authore adiici, quòd illas videatur fuiſſe imitatus Iuſtinianus *in L.* 20. *C. de SS. Eccleſiis*. Cùm tamen ea in lege potiùs liberaliſsimè dilatet fimbrias priuilegiorum Eccleſiaſticorum, Eccleſiarum ſtudioſiſsimus Iuſtinianus, quàm vt eas coarctet. Nam rerum Eccleſiis donatarum, relictarum, venditarum, &c. perſecutionem extendit vſque ad centum annos, dum aliàs actiones ciuiles expirent annis triginta. L. *receptitia* 2. C. *de conſtit. pecun.* Concedit, vt eccleſiæ Dominium acquirant ſine traditione poſſeſsionis, & tandem pro omnibus his rebus præter actiones ordinarias dat rei vindicationem, & actionem hypothecariam. In quo ergò puncto vel capite in L. 20. imitatus eſt Iuſtinianus leges Arcadii? Sed vt ad oculum pateat, qnàm ſincerè in negotio tanti momenti cum Eccleſiis agatur, pono totum tenorem legis nullo verbo omiſſo. Sic habet:

Vt inter Diuinum publicumque ius, & priuata commoda, competens diſcretio ſit: Sancimus, ſi quis aliquam reliquerit hæreditatem, vel legatum, vel fideicommiſſum, vel donationis titulo aliquid dederit, vel vendiderit ſiue ſacroſanctis Eccleſiis, ſiue venerabilibus

xeno-

xenonibus, vel piochotrophiis, vel Monaſteriis maſculorum vel virginum, vel orphanotrophiis, vel brephorrophiis, vel gerontocomiis, nec non Iuri Ciuitatum: vel donatorum, vel venditorum, vel relictorum eis ſit longæua exactio, nulla temporum ſolita præſcriptione coarctanda. Sed etſi in redemptionem captiuorum quædam pecuniæ vel res relictæ, vel legitimo modo donata ſunt: & earum exactionem longiſſimam eſſe cenſemus. Et nobis quidem cordi erat, nullis temporum metis huiuſmodi actiones circumcludi: ſed ne videamur in infinitum hanc extendere, longiſſimum vitæ hominum tempus eligimus: & non aliter eam actionem finiri concedimus, niſi centum annorum curricula exceſſerint: tunc enim tantummodo huiuſcemodi exactionem euaneſcere ſinimus. Siue itaque memoratis religioſiſſimis locis vel ciuitatibus hæreditas, ſiue legatum vel fideicommiſſum fuerit relictum, ſiue donatio vel venditio proceſſerit, in quibuſcunque rebus, mobilibus vel immobilibus, vel ſe mouentibus, ſiue pro redemptione captiuorum quædam fuerint derelicta vel donata, ſit eorum penè perpetua vindicatio, & ad annos centum (ſecundùm quod iam dictum eſt.) extendatur: nulla alia exceptione temporis inhibenda, ſiue contra primas perſonas, ſiue contra hæredes vel ſucceſſores eorum moueatur. In his autem omnibus caſibus non ſolùm actiones perſonales damus, ſed etiam in rem & hypothecariam, ſecundùm noſtræ conſtitutionis tenorem, quæ legatariis & fideicommiſſariis hypothecariam donauit, & ſupradictis omnibus vnum tantummodo terminum humanæ vitæ imponimus; id eſt centum metas anno-

rum. Hæc autem omnia obſeruari ſancimus, & in his caſibus, qui vel poſtea fuerint nati, vel iam in iudicium deducti ſunt. En! totum contextum *l.* 20. quę eſt finalis in tit. C. *de SS. Eccleſiis.* An verbulum reperis contrarium libertati, aut conſonum iniquitati Arcadiæ? Iam tuum, non meum, eſto iudicium de ſincera fide eorum, ſi qui Decreta Amortizationis tuentur ſimilibus allegationibus.

V I.

Miror vehementer 3. Illuſtriſsimum Authorem *Diſcuſſionis problematicæ* audere dicere, quod ſtatutum noſtrum patrium, de anno milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo ſecundo, à pientiſsimo, Religionis ſtudioſiſsimo, iuſtitiæ amantiſsimo Ferdinando Electore latum de non alienandis bonis nobilibus in manus non priuilegiatas (ſub quibus etiam comprehendi deberent Eccleſiæ & Monaſteria) ſit ſecundùm conſtitutiones citatas Arcadii Imperatoris, &, vt dictum, extantes in Cod. Theodoſiano *l.* 20. & 27. *de SS. Eccleſiis.* Abſit cogitare, quòd iuſtiſsimus Princeps legem ſuam voluerit conformare ſanctioni toties ab Imperatoribus ſucceſſoribus, & ſummis Pontificibus retractatæ & damnatæ. Abſit cogitare, quòd ſtatutum ſuum voluerit aſsimilare conſtitutioni Arcadianæ, ex ipſis terminis iniquiſsimæ. Quin tu potiùs præſume de religioſiſsimo Electore, eundem nunquam conſenſurum fuiſſe, vt ſtatutum ſuum prohibitorium extenderetur ad Eccleſias, ſi informatus fuiſſet, illud hac extenſione nonnihil accedere ad le-

gem

gem Arcadii. Quod eò magis præſumi poteris; quia executioni non dedit ſtatutum quoad hoc punctum, ſicque tacitè reuocauit, quam primùm animaduertit moueri à Statibus eccleſiaſticis quæſtionem de valore ac iuſtitia.

VII.

Miror vehementer 4. Illuſtriſsimum Authorem ſtudio diſsimulare, quòd ſæpè memoratæ conſtitutiones Arcadii ſolenniſsimè fuerint reuocatæ per Valentinianum III., ex Arcadii Fratre Honorio filium, & Marcianum, quem Pulcheria, filia Arcadii, in Imperatorem & maritum, ſeu potiùs virginitatis ſuæ cuſtodem, aſſumpſit, anno Chriſti CCCCLIV. Valentiniani Auguſti Occidentis XXX. Marciani in Oriente imperantis V. Conſulibus Studio & Aerio. Dicebam, ſtudio Authorem diſsimulare hanc reuocationem: ſciebam enim iacuiſſe ante oculos apertam legem 12. C. *de SS. Eccleſiis*, quæ ſic ſonat; *Priuilegia, quæ generalibus conſtitutionibus vniuerſis ſacroſanctis Ecceleſiis ortodoxæ Religionis retrò Principes præſtiterunt, firma & illibata in perpetuum decernimus cuſtodiri. Omnes ſanè pragmaticas ſanctiones, quæ contra Canones Eccleſiaſticos interuentu gratiæ vel ambitionis elicitæ ſunt, robore ſuo & firmitate vacuatas ceſſare præcipimus.* Eadem reuocatio continetur *in l.* 13. & 15. eodem.

VIII.

Cæterum inter nouiſsimas renocationes iſtarum & omnium aliarum, libertati Eccleſiaſticæ re-

rum. Hæc autem omnia obſeruari ſancimus, & in his caſibus, qui vel poſtea fuerint nati, vel iam in iudicium deducti ſunt. En! totum contextum *l.* 20. quę eſt finalis in tit. C. *de SS. Eccleſiis*. An verbulum reperis contrarium libertati, aut conſonum iniquitati Arcadiæ? Iam tuum, non meum, eſto judicium de ſincera fide eorum, ſi qui Decreta Amortizationis tuentur ſimilibus allegationibus.

VI.

Miror vehementer 3. Illuſtriſsimum Authorem *Diſcuſſionis problematicæ* audere dicere, quod ſtatutum noſtrum patrium, de anno milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo ſecundo, à pientiſsimo, Religionis ſtudioſiſsimo, iuſtitiæ amantiſsimo Ferdinando Electore latum de non alienandis bonis nobilibus in manus non priuilegiatas (ſub quibus etiam comprehendi deberent Eccleſiæ & Monaſteria) ſit ſecundùm conſtitutiones citatas Arcadii Imperatoris, &, vt dictum, extantes in Cod. Theodoſiano *l.* 20. & 27. *de SS. Eccleſiis*. Abſit cogitare, quòd iuſtiſsimus Princeps legem ſuam voluerit conformare ſanctioni toties ab Imperatoribus ſucceſſoribus, & ſummis Pontificibus retractatæ & damnatæ. Abſit cogitare, quòd ſtatutum ſuum voluerit aſsimilare conſtitutioni Arcadianæ, ex ipſis terminis iniquiſsimæ. Quin tu potiùs præſume de religioſiſsimo Electore, eundem nunquam conſenſurum fuiſſe, vt ſtatutum ſuum prohibitorium extenderetur ad Eccleſias, ſi informatus fuiſſet, illud hac extenſione nonnihil accedere ad legem

gem Arcadii. Quod eò magis præſumi poteris, quia executioni non dedit ſtatutum quoad hoc punctum, ſicque tacitè reuocauit, quam primùm animaduertit moueri à Statibus eccleſiaſticis quæſtionem de valore ac iuſtitia.

VII.

Miror vehementer 4. Illuſtriſsimum Authorem ſtudio diſsimulare, quòd ſæpè memoratæ conſtitutiones Arcadii ſolenniſsimè fuerint reuocatæ per Valentinianum III., ex Arcadii Fratre Honorio filium, & Marcianum, quem Pulcheria, filia Arcadii, in Imperatorem & maritum, ſeu potiùs virginitatis ſuæ cuſtodem, aſſumpſit, anno Chriſti CCCCLIV. Valentiniani Auguſti Occidentis XXX. Marciani in Oriente imperantis V. Conſulibus Studio & Aerio. Dicebam, ſtudio Authorem diſsimulare hanc reuocationem: ſciebam enim iacuiſſe ante oculos apertam legem 12. C. *de SS. Eccleſiis*, quæ ſic ſonat; *Priuilegia, quæ generalibus conſtitutionibus vniuerſis ſacroſanctis Eccleſiis ortodoxæ Religionis retrò Principes præſtiterunt, firma & illibata in perpetuum decernimus cuſtodiri. Omnes ſanè pragmaticas ſanctiones, quæ contra Canones Eccleſiaſticos interuentu gratiæ vel ambitionis elicitæ ſunt, robore ſuo & firmitate vacuatas ceſſare præcipimus.* Eadem reuocatio continetur *in l.* 13. & 15. eodem.

VIII.

Cæterum inter nouiſsimas renocationes iſtarum & omnium aliarum, libertati Eccleſiaſticæ re-

pugnantium, legum celeberrima eſt, quam edidit Fridericus Imperator, & exhibetur in authentica Caſſa *C. de SS. Eccleſiis* ſequentibus verbis: *Caſſa & irrita eſſe denuntiari per totam Italiam præcipimus omnia ſtatuta & conſuetudines contra libertatem* Eccle- *ſiæ eiuſque perſonas inductas aduerſus Canonicas & imperiales ſanctiones, & ea de capitularibus penitùs aboleri mandat noua conſtitutio: & de cætero ſimilia attentata in ipſo iure nulla eſſe decernit. Si quid contra fiat, pœnæ, quæ ſtatutæ ſunt, imminebunt. Sed ſi per annum huius Nouellæ conſtitutionis aliqui inuenti fuerint contemptores: bona eorum per totum noſtrum imperium impunè ab omnibus occupentur.*

IX.

Verùm Illuſtriſsimus Author tribus capitibus, ſeu potiùs replicis conuellere nititur præſentis Authenticæ authoritatem. I. enim ait, Authenticam præcisè loqui de Italia; non de cæteris Imperii prouinciis: nam textus ponit: *Caſſa & irrita eſſe denuntiari per totam Italiam*. Sed vidiſſet nullius momenti hanc ſuam replicam eſſe, ſi legiſſet Gloſſam *in verb. per totam Italiam*, quę dicit: *Vbi maximè fiebant, ſi tamen & alibi in Romano imperio hæc fiant, eadem eſt æquitas: ergò idem jus, vt L. Titia ff. de verb. oblig. in fine, & L. illud ff. ad L. Aquiliam.* Hęc Gloſſa.

Vidiſſet eſſe indignam Legiſta hanc reſponſionem, ſi conſideraſſet, etiam Sententiam ab Auguſto in particulari negotio inter partes latam ius commune facere, vt in omnibus ſimilibus cauſis

ita

ita iudicari debeat. Norunt hoc tyrones iuris per textum *in §. ſed & quod Princeps inſtitut. de iur. natur. gent. & ciuil.* & L. 2. *de Legatis*. Quantò magis lex lata in cauſa communi, & in Sede Romani Imperij, Italia. Si valet hęc reſponſio, euacuamus totum Ius Canonicum, euacuamus pariter totum Ius Ciuile, quia vtrumque ferè totum componitur ex ſententijs, reſponſis, reſcriptis, ac Decretis, quę lata ſunt particularibus cauſis, locis, perſonis: vt euidens eſt intuentibus Corpus vtriuſque iuris.

Potuiſſet videre, ſi voluiſſet, ex verbis finalibus Authenticæ: *Bona eorum per totum noſtrum imperium impunè ab omnibus occupentur*: Imperatorem velle extendi iſtam conſtitutionem ad totum imperium, cùm per totum imperium velit aduerſus transgreſſores procedi per pœnam publicationis bonorum.

2. Ait, *iſtam authenticam caſſare, & irritare tantùm ea ſtatuta, & conſuetudines, quæ ſunt contra libertatem* Eccleſiæ: *Se verò*, vlterius dicit: *fuſiſſimè demonſtrare, quòd tale ſtatutum, de quo nobis eſt ſermo, non ſit contra libertatem Eccleſiæ, prout etiam fatetur ipſe Peckius d.d. num. 4. ergò de iſto ſtatuto authentica caſſa intelligi non poteſt*.

Hæc replica non faceſſit nobis negotium, quia abundè oſtendimus contrariari libertati Eccleſiarum legem amortizationis. Quod verò illuſtriſſimus Author oppoſitum non demonſtret, vti ſibi imaginatur, ſed omnes illius replicæ, & proba-

tio-

tiones vana ſint Sophiſmata, nec à iure, nec ratione ſolida, oſtendimus ad oculum per decurſum, & oſtendemus adhuc magis in ſolutione obiectionum, quam ſtatim ordiemur.

3. Ait, *caſſari tantùm ſtatuta, & conſuetudines, quæ ſunt contra Canonicas, & Imperiales Conſtitutiones. Sed vt dictum, ſtatutum noſtrum non eſt contra, ſed potiùs ſecundùm conſtitutiones imperiales Arcadij in L.20. & 27. C.Theodoſ. de SS. Eccleſijs.* Ecce lamice Lector, quomodò illuſtriſſimus Author hìc denuò approbet damnatas Arcadij leges; quin Decretum amortizationis exindè iuſtificet, quia eſt ſecundùm damnatas has leges. Heus! in quantum barathrum abſurditatum deuoluitur animus ab Eccleſiaſticis alienatus.

X.

Impia conſtitutione Arcadij præcluditur Eccleſijs omne ius Succeſſionis, & legatorum: Iure verò Canonico ſtabilitur ius ſuccedendi, & legata capiendi, etiamſi nulla interuenerit ciuilis ſolemnitas. *cap. cum eſſes. cap. relatum ext. de teſtamentis.* Superſedeo repetere *cap. Eccleſia S. Mariæ* 10. *ext. de conſt.* vbi damnantur leges ciuiles, licet in bonum Eccleſiarum latæ, ſi conceptæ ſint ſuper perſonis Eccleſiaſticis, aut rebus earum, *cap. fin. de immun. in 6.* Bullam Cœnæ excommunicantem omnem legislatorem, qui quomodolibet reſtringere audet libertatem Eccleſiaſticam, & innumeros alios ſacros Canones. Conſtitutione Arcadij libertas acquirendi Eccleſijs aufertur, reſtituitur verò iiſdem

dem pleniſſima acquirendi, per actus inter viuos, ac vltimæ voluntatis, per Leges Valentiniani, & Marciani, Leonis, & Anthemij, Iuſtiniani, & Friderici *l.12. l.13. l.15. l.penult.& fin.C.de SS.Eccl. Authent.caſſa eodem*. Ergò Conſtitutio Arcadij euidenter contrariatur ſacris Canonibus. Ergò euidenter cōtrariatur non tantùm anterioribus D.Conſtantini Magni, ſed etiam poſterioribus Imperatorum Legibus pro libertate Eccleſiarum latis. Ergò Conſtitutio Arcadij euidenter annullata, & damnata eſt per ſacros Canones. Ergò euidenter annullata, & damnata eſt per leges Imperatorias, &c. Iam inferamus, quòd inferendum eſt. Ergò pariter Decretum Amortizationis euidenter contrariatur ſacris Canonibus, euidenter contrariatur Imperialibus legibus, euidenter annullatum, & damnatum eſt à SS. Canonibus, euidenter annullatum, & damnatum eſt ab imperialibus Legibus. Quæ omnium harum conſequentiarum ratio ſit? ſi à me petis; do tibi euidentem ex aduerſario: *Quia decretum amortizationis eſt ſecundùm conſtitutiones imperiales Arcadij*. Sortitur itaque eandem cum his conſtitutionibus qualitates.

Habemus gratiam Illuſtriſſimo Authori, quòd mirabili hac ſua replica, & inaudita hactenus aſſimilatione Decreti Amortizationis, & ſtatuti noſtri patrij cum iniquiſſimis conſtitutionibus Arcadianis, occaſionem nobis optatiſſimam fecerit contra ipſum de horum decretorum iniuſtitia, & inualiditate, de repugnantia aduersùs ſacros Canones,

nones,

nones, & Imperiales Conſtitutiones, adeò euidenter concludendi: vt iam nil ampliùs ſuperſit, quàm ordinatim ſoluere obiectiones, quibus probabilitatem extrinſecam, & intrinſecam conciliare nititur ſuæ ſententiæ: Nam quandò tertiæ replicæ adiicit, quemlibet Principem iure Suprematus abrogare poſſe conſtitutiones antiquas Imperatorias pro libertate Eccleſiæ latas, per ſe in purum nihilum recidit; ſi conſideremus, quæ ſæpè diximus, quòd ne quidem Imperator queat reuocare libertatem ſemel Eccleſiæ conceſſam: conceſſerunt autem pleniſſimam acquirendi quæuis bona, ſiuè mobilia, ſiuè immobilia, ſiuè per actus inter viuos, ſiuè per actus vltimarum voluntatum, prout videre eſt in Legibus citatis.

Nec exemplum Moyſis, qui Exod. 36. vetabat plus auri offerre, quàm neceſſarium erat ad conficiendum tabernaculum, hìc eſt ad rem; Nam ibi vna res determinata ſtabilis facienda erat, non verò erant ſumptus colligendi pro futuris neceſſitatibus, pro futuris temporibus, pro augmentando identidem apparatu, & cultu Diuino, pro alendo maiori numero miniſtrorum Dei, &c. quos tamen fines intendunt Eccleſiæ in comparatione bonorum de nouo. Accedamus itaque tandem ad conſiderationem argumentorum aduerſæ partis.

CAP.

CAP. III.

Soluuntur argumenta contraria petita ex auctoritate, conſtituente probabilitatem extrinſecam,

PRobabilitas alia vocatur extrinſeca, quæ conſiſtit in auctoritate tenentium aliquam opinionem; alia intrinſeca, quæ dependet à robore, & efficacia rationum: Vtraque probabilitate niti ſententiam affirmatiuam, Decretum Amortizationis licitum, & validum eſſe, aſſerit Illuſtriſſimus Author Diſcuſſionis problematicæ propè initium. Dum itaque primò probabilitatem ab auctoritate examinandam in præſenti aggredimur, monemus, nos ſeruaturos ordinem dignitatis inter auctoritates ab aduerſa parte allegatas; prout iam inſinuauimus ad finem Cap. I.

§. I.

Malè allegatur pro ſuo intento ab aduerſa parte ex Scriptura textus Deuter. 18.

SVMMARIA.

I. *Probant ſententiam ſuam aduerſarij ex paritate cum Leuitis Deutr. 18.*

II. *Argumentum iſtud probat Eccleſiam hactenus erraſſe in iure Diuino.*

III. *Eſto*

III. *Eſto omninò idem cum argumento Vviclefi.*

IV. *Leuitæ veteris Teſtamenti habebant poſſeſſiones.*

V. *Reiicitur opinio Lyrani circa Leuitas.*

VI. *Explicatio textus Deutr. 18.*

VII. *Explicatio aliquot aliorum textuum ex Euangelio, qui videntur poſſe facere pro aduerſariis.*

VIII. *Argumentandi Methodus aduerſariorum eſt ſimilis Methodo Iuliani Apoſtatæ, & Gentilium.*

IX. *Quas abſurdas conſequentias talis argumentandi ratio poſt ſe trahat.*

X. *Non vtendum talibus argumentis, quia hiſce facilè ſeducuntur rudes.*

I.

CErtè lex *Amortizationis* (recito verba Illuſtriſſimi Authoris) *ab ipſo Deo fundata eſſe videtur, cùm Deutronomii* 18. *ſtatuit, vt Sacerdotes, & Leuitæ, ac omnes, qui de eadem tribu ſunt, partem, & hæreditatem cum reliquo Iſrael non habeant, quia, vt ſacer Textus inquit, Sacrificia Domini, & oblationes eius comedunt, & proindè nihil accipiunt de poſſeſſione fratrum ſuorum, Dominus enim ipſe eſt hæreditas eorum.* Illatio clara viſa eſt Illuſtriſſimo Authori, nempè, quòd Sacerdotium noui teſtamenti etiam non debeat habere vllas poſſeſſiones, vt adeò eam voluerit ſubintelligi. Planè vix poſſum perſuaderi hoc argumentum ſeriò fuiſſe propoſitum ab Authore, propter conſequentias enormes, quas poſt ſe trahit, ſed tantùm ioci cauſa ex aliis recitatum,

vt

vt haberent Eccleſiaſtici, quò ſe exercerent in explicatione Scripturarum.

II.

Conſequentia enormis eſt primò, quòd ex eo ſequatur, Eccleſiam, omnis veritatis, & honeſtatis infallibilem columnam, fuiſſe hactenus in perpetuo errore circa ius Diuinum, conſtanter præuaricatam eſſe contra legem Dei; ſi enim Lex Amortizationis (ſeu ne Eccleſia immobilia poſſideat) ab ipſo Deo fundata eſt: tunc perſpicuum redditur, Eccleſiam recipiendo poſſeſſiones, prædia, terras, bona immobilia, &c. ſemper erraſſe in Iure Diuino, ſemper præuaricatam eſſe contra legem Dei: Conſequenter, quæ errare potuit, & tranſgredi, non eſſe infallibilem columnam veritatis, & honeſtatis. Vides enormitatem conſequentiæ, & falſitatem? falſum itaque debet eſſe antecedens, cùm ex verò falſum non ſequatur, iuxta Regulas Logicas conſequentiarum. Sed fortaſſe pro argumentantium excuſatione ais, non dici, quòd lex Amortizationis à Deo fundata ſit, ſed quòd *videaur* à DEO fundata.

Si ita, nunquid autem ſatis enorme eſt, *vider tibi*, Eccleſiam conſtanter erraſſe circa ius Diuinũ *videri tibi*, eam cónſtanter præuaricatam eſſe contra Dei legem, quæ *videri* neceſſariò ſequuntur ex illo, quod videatur hæc lex à Deo fundata eſſe?

III.

Conſequentia enormis eſt ſecundò, malè damnatum eſſe ab Eccleſia peſſimum Hæreſiarcham

Ioan-

Ioannem Vviclefum: Si enim argumentum iuxta aduerſarios ritè, ac ſecundùm veritatem concludit: Ergò benè Vviclefus iſthoc argumento aggreſſus eſt catholicam Eccleſiam. Is inter cæteros errores contra ſanam, ac orthodoxam fidem apud Thomam Vvaldenſem *l.4. doctrinæ fidei ar. 3.* & apud Cardinalem Robertum Bellarminum *tom. 1. de controu. Chriſtianæ fidei de Clericis cap. 26.* pręcipuè docebat, non licere Clericis habere vllas poſſeſſiones, & peccaſſe tam qui eas donauerunt Eccleſiæ, quàm qui eas receperunt; quia nempè Sacerdotes veteris Teſtamenti lege Diuina prohibebantur habere poſſeſſiones, vt patet *Num. 18. Dixit Dominus ad Aaron, in terra eorum nihil poſſidebitis, nec habebitis partem inter eos: ego pars & hæreditas tua.* Item: *Deuter. 10. quamobrem non habuit Leui partem, nec poſſeſſionem cum fratribus ſuis, quia ipſe Dominus poſſeſſio eius eſt.* Et rurſus: *Ioſue 13. Tribui autem Leui non dedit poſſeſſionem, quoniam Dominus Deus Iſrael ipſe poſſeſſio eius.* Nunquid quemlibet Catholicum pudere deberet, ſi non cauſam, ſaltem habere communem cum damnato Hæreſiarcha ſacrę Scripturę abuſum?

IV.

Audiatur ad hæc Eminentiſſimus Cardinalis Bellarminus. Manifeſtum, ait *loc. cit.* errorem eſſe, quòd Sacerdotes, ac Leuitæ veteris Teſtamenti prohibebantur habere poſſeſſiones: nam etſi in partitione terræ non erant habituri agros, & vineas, erant habituri tamen, & poſſeſſuri vrbes ad

ha-

Digitized by Google

habitandum, & ſuburbana ad alenda pecora: poterat etiam agros, & vineas emere, & etiam ex oblationibus populi habere, vt modò habet Eccleſia: Nam *Num.* 35. dicitur. *Præcipe filiis Iſrael, vt dent Leuitis de poſſeſſionibs ſuis vrbes ad habitandum, & ſuburbana earum per circuitum, quæ à muris Ciuitatum foriſecùs pee circuitum mille paſſuum ſpacio tendentur.* Et Ioſue 21. id legimus impletum.

VI.

Neque obſtat, quòd Lyranus in *cap.* 35. *Num.* dicat, eas vrbes fuiſſe Sacerdotum tantùm quoad vſum, dominium autem earum fuiſse penes alios, & probet de Hebron, quæ data eſt Sacerdotibus Ioſue 21. & tamen Dominus eius erat Caleb de tribu Iuda. Ioſue cap. 14. Hoc non obſtat: Nam Lyranus fallitur, vt patet ex Leuitic. cap. 25. vbi legimus, vrbes, & ſuburbana Sacerdotum, eſſe eorum poſſeſſionem, & poſſe illos vendere, & recimere domos, vt alij faciebant, & de Hebron legimus Ioſue 21. ſolos agros, & vineas, quæ erant in territorio Hebron fuiſſe Caleb, vrbem autem, & ſuburbana Sacerdotum. Item Leuitici vlt. præcipitur, vt ſi quis agrum Domino vouerit, eum Sacerdotes poſſideant. 3. *Reg.* 2. dicit Rex Abiather Sacerdoti: *Vade ad argum tuum.* Item Ieremias Sacerdos erat, & tamen *Ierem.* 32. ſcribit ipſemet, ſe emiſſe, & poſſediſſe agrum, qui fuerat patruelis ſui. Et *Actorum* 4. legimus, Barnabam fuiſſe Leuitam, & vendiſſe agrum, quem habebat. Ex his facilè eſt reſpondere, ait Bellarminus, ad argu-

mentum Vviclefi, & noſtrorum Catholicorum;

VI.

Quando enim Scriptura dicit, Sacerdotes non debuiſſe habere quidquam, ſed dominum eſſe eorum hæreditatem, poſſeſſionem &c. vult dicere, non debuiſſe eos habere quidquam more aliorum; tanquam filios Iacob, & ex paterna hęreditatę, ſed ſolùm habere debuiſſe ea, quę debebantur Deo, cuius ipſi Miniſtri erant. Et ſic factum eſt: nam tota terra Paleſtinæ, tanquam quædam hæreditas diuiſa fuit in duodecim partes pro numero tribuum, excluſa omninò tribu Leui, quæ erat decima tertia. Tametſi enim duodecim tantùm fuerint filij Iſrael, tribus tamen fuerunt tredecim, quia Ioſeph per ſuos filios duas tribus faciebat; nimirum Ephraim & Manaſſe; Deindè terra iam diuiſa, & Iſrael exhæredato, Deus voluit ſibi tanquam proprio regi Iudæorum dari loco tributi decimam partem, & primitias omnium fructuum, & quadraginta octo ciuitates cum ſuburbanis ſuis, & hæc omnia donauit ipſe Leuitis: quę portio Leuitarum maior fuit portione aliarum tribuum: nam habuerunt decimam partem cum omnibus primitijs frugum, cùm ipſi vix eſſent ſexageſima pars populi. Et hoc, videlicet, partem Deo conſtitutam capere tribum Leui, ſignificant illa verba: *Ego Dominus hæreditas, poſſeſſio, &c. Leuitarum ſum*.

VII.

Vides amice Lector! quin manibus palpas turpem ſacrę Scripturę abuſum ad faciendam aliqualem

lem iniuſtæ cauſę iuſtitię vmbram. Sed ne fortè quis defenſorum ſtatuti Amortizationis in poſterum exiſtimare poſſit, ſe in nouo Teſtamento, ac Euangelio longè vrgentiora contra Clerum argumenta deprehendere: nempè quòd *Matth.* 10. Dominus iubeat Apoſtolis, vt nihil poſſideant, non pecuniam, non duas tunicas &c. addendo: *Non eſt diſcipulis ſupra Magiſtrum*: Chriſtus autem nullam poſſeſſionem habuit. Item, quòd dicat *Lucæ* 14. *Niſi quis renunciauerit omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus*. At certè Clerici omnes debent eſse diſcipuli Chriſti. Ne, inquam, quis in poſterum ita cum Vvicleſo heterodoxè exiſtimet: iterum ablegandus eſt ad citatum Cardinalem Bellarminum, qui ad illud *Matth.* 10. *Nihil tuleritis in via, &c.* reſpondet, illa verba dici Apoſtolis pro illo tempore, quo in itinere erant futuri in terra promiſsionis ante Chriſti paſſionem: tunc enim, vt expeditiores eſſent, non debuerunt ſecum ferre quidquam, prę ſertim cùm neque pauperum, neque Eccleſiarum, neque Con-Miniſtrorum tunc curam haberent. Adde: cùm etiam tunc profectiones eorum, nec eſsent longinquę, nec diuturnę, verſarenturque inter Iudęos fratres, necdum illo tempore diſcipulis vſque adeò, vt poſt paſsionem, & aſcenſionem infeſtos; vnde facilè diuerſorium, & neceſſaria impetrare poterant. At vbi Apoſtoli poſt Chriſti aſcenſionem cœperunt figere ſedes in certis locis, & habere curam Eccleſiarum, & pauperum, non timuerunt recipere bona tempora-

 lia,

lia, vt patet *Actor.* 4. 5. & 6. vbi Apoſtoli recipiebant multa pecunias, vt indè alerent, & ſe, & alios.

Ad illud: *Non eſt diſcipulus ſupra Magiſtrum*, reſpondetur, Dominum loqui eo loco de tribulationibus à quibus non fuerunt immunes Apoſtoli, cùm eorum Dominus, & Magiſter multa paſsus ſit. Ad textum Luc. 14. reſpondet S. Auguſtinus *epiſt.* 5. *ad Marcellinum*: Dominum loqui de preparatione mentis: nam ibidem explicans, quod ſit renunciare omnibus, dicit: *Si quis venit ad me, & non odit patrem, & matrem, & vxorem, adhuc autem, & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus*. Et amen non tenemur, nec poſsumus parentes, filios, vxorem, & multò minus vitam odiſse, niſi in preparatione animi, in tantum, vt explicant Theologi, vt quis ſemper hiſce rebus, licet alioquin homini chariſsimis, Deum preferat, & incidente caſu, quo vel Deum, vel parentes, aut vxorem &c. debeat offendere, ac deſerere, odiſseque hos potiùs offendat, perdat, odio habeat, quàm peccet, & offendat Deum. Coninck *de action ſupernat. diſput.* 23. *num.* 33. Eodem ſenſu intelligendum quoque illud eſt Matth. 10. verſ. 27. *Ecce nos reliquimus omnia*: Affectu, videlicet, appretiatiuo Dei ſuper omnia bona temporalia, vi cuius hec omnia relinquerentur, caſu quo ſtare non poſsent cum Dei amicitia. Ita pariter intelligendum eſt: Eccleſiam Dei non in poſseſsione bonorum temporalium, ſed contemptu fundatam; quo dicto; pro more, mordet Eccleſia-

cleſiaſticos illuſtriſsimus Author Diſcuſsionis. Nec repugnat iuxta hanc genuinam explicationem eſſe ditiſſimum, & ſimul diuitiarum contemptorem: Sic Pſalmiſta exclamat: *Pars mea Deus meus*! quaſi pręter Deum nihil aliud poſſideret, cùm tamen eſset Rex ditiſſimus: quia videlicet affectu, & amore omnibus diuitiis ſemper Deum pręferebat.

VIII.

Sicuti verò omninò dedecet Catholicos eadem ratione abuti ſcriptura, qua hæretici: Ita longè turpius eſt hoc in abuſu imitari ipſoſmet Gentiles, ac Eccleſię perſecutores. Cardinalis Baronius ad annum Chriſti CCCLXII. & ſecundum annum Imperii Iuliani Apoſtatę, de hoc & Magiſtratibus ab eo conſtitutis refert, quomodò Chriſtianos confiſcatione bonorum perſecuti ſunt ſub prętextu, quaſi opes illorum forent mera ſpolia ex templis Deorum rapta ſub Catholicis Imperatoribus. Verba Cardinalis ſunt: *At quoniam non omnium, quæ aduerſus Chriſtianos hoc tempore per Iuliani nouos præfectos ſunt agitata, memoria eſt: ex paucis, quæ extant, vtcunque tradita poſteris, reliqua obliuione ſepulta contemplari licebit. Res quidem lento gradu agi cœpta eſt, cùm in eorum bona primùm fiſcus inſurgeret, qui in aula chriſtianorum Imperatorum militaſſent, cauſa illa communi obtenta, quòd ex templorum diuitijs expilatis olim fortunas auxiſſent.* Sed hoc nondum ad rem: illud verò quod ſequitur: *Quòd ſi adeò hæc cauſa deeſſet, vt nec locus videretur eſſe fictioni atque calumniæ, illa in promptu aderat, quam etiam, vt vidimus, in*

reſcriptis inſerere minimè erubeſcebat Iulianus: ***Nimirùm*** *Chriſtianos ex* Euangelij *præſcripto nequaquam affluere debere diuitijs, ſed eas petentibus impendere; & ſuperaddere; imò & perfectionis adipiſcendæ gratia omnia penitùs erogare debere, quò i, quibus manet regnum in cœlo, libenti animo patiantur diſpendium terrenæ ſubſtantiæ:*

Profectò non ità ouium ouo, coruus coruo ſimilis eſt, quàm hic abuſus Scripturę: *Deus dixit de Leuitis; ego hæreditas illorum. Ergo hi non debent habere bona, & poſſeſſiones proprias*: ſit illi: *Chriſtus voluit Chriſtianos omnia relinquere, & expectare mercedem in cœlo. Ergo poſſunt, ac debent illis omnia auferri*. Sicut argumentatus eſt mortalium omnium nequiſſimus apoſtata Iulianus.

IX.

Actum planè, & peractum eſt cum præſenti ſtatu Summi Pontificatus, & Sacerdotii, actum, & peractum eſt cum omnibus Eccleſiarum, Epiſcopatuum, Monaſteriorum, Collegiorum, &c. fundationibus, & donationibus, ſi hęc argumentandi methodus aliquid valet. Actum eſt de antiquiſſimis Pontificum Decretis, inter quos Pius I. iam circa An. V. Domini CLIII. in Epiſt. 2. dicit: *Sacrilegum eſſe, qui Eccleſiæ prædia, & donaria diripit.* Ex quo diſcis iam tum, imò iam antea inter medias gentilium perſecutiones Chriſtianis conſuetum fuiſse, prędia, & fundos Eccleſiis donare, inter quos Vrbanus, itidem I. circa annum Domini 227. in Epiſtola ſua ad omnes Epiſcopos miſſa

di-

Digitized by Google

dicit,initio Eccleſię conſueuiſse pios homines vendere poſseſsiones, & pretium donare Eccleſiis; Deindè tamen iudicatum eſse commodiùs, ſi poſſeſsiones ipſæ donarentur Eccleſię, vt eò modò non ſolum præſentibus,ſed etiam futuris prouideretur. Qualia plura legi poſsunt apud Bellarminum loc. cit.

Actum eſt de Conciliis antiquiſsimis omnium Eccleſiarum, quę prohibent alienari poſseſsiones Eccleſię, & earum curam Epiſcopo committunt. VideConcilium Antiochenum *cap.*25.Ancyranum *cap.*15. Carthaginenſe IV. *cap.*32. & Carthaginenſe V. *cap.*4. Concilium Hiſpalenſe I. *cap.*1. Toletanum IV. *cap.*32. *&* 68. Agathenſe cap.49. *&* 51. item Moguntinum ſub Arnulpho Imperatore *cap.* 10.& Romanum ſub Symmacho Papa *cap.*6.Taceo recentiora vniuerſalia Concilia Romana; Lugdunenſia, Tridentinum,&c. quibus omnibus pręcipuè curæ fuit cuſtodire ſalubribus ſtatutis bona Eccleſiarum; & Eccleſiaſticorum.

Actum eſt de innumeris Sanctionibus Cœſareis, quibus Conſtantinus Magnus, & poſt illum omnes ferè Catholici Imperatores Eccleſiaſticas facultates, bona, libertates tuentur, & in violatores decernunt grauiſsimas pęnas conficationis,exilii, gladii, &c.

Scio equidem te dicturum,Catholicos Scriptores neutiquam adeò aliena ab Eccleſiis, & Eccleſiaſticis perſonis mente fuiſse, vt vtendo iſthoc argumento eas omnium immobilium, poſseſsionum,

& facultatum, iure Diuino incapaces eſse conuincere velint; hoc quippe heterodoxum eſse, nec vnquam in mentem veniſse; velle tantummodò, vt moderata ſit, ac ſuis limitibus coarctata facultas adipiſcendi: nedum bona immobilia manum mutant, in alterius generis iuriſdictionem, Eccleſiaſticam ſcilicet, tranſeant, & eximantur à vectigalium, & ſimilium impoſitionum onere in grauamen laicorum; tum ne auctis vltra modum facultatibus luxuriandi, laſciuiendique cauſa prębeatur cum deſtructione boni ordinis. Ita Henricus Zoeſius *ext. de ſucceſſionibus ab inteſtato num.* 10.

Verùm, vel textum pro argumento è ſcriptura adductum volunt intelligi nudè crudè ſecundùm litteram, ſeù prout iacet, abſque debita interpretatione ex cohęrentia cum antecedentibus, & ſubſequentibus ſcripturæ locis, prout ſectarii fragmenta ſcripturarum erroribus ſuis, prout iacent, & ad litteram ſeruire volunt? Et tunc tantum probat, quantum hactenus deduximus, & quantum horrorem, & pudorem deberet iniicere homini Catholico. Vel volunt intelligi cum debita interpretatione ex cohęrentia cum antecedentibus, & ſubſequentibus ſcripturę locis, quod equidem de viris Catholicis credere decet? & tunc euidens eſt, argumentum, nec hilum probare, ac penitùs nihil ad rem pro aduerſariis, benè contra eos facere, vt conſtat ex dictis, quę luculenter oſtendunt, etiam Sacerdotio veteris Teſtamenti ius pleniſsimum fuiſse fundos, & immobilia, ſiue per actus lucratiuos,

vos, ſiue oneroſos, ſiue per actus inter viuos, ſiue vltimæ voluntatis comparandi. Non deberent ergò nudos crudos textus ſcripturarum, non addita vlla vera interpretatione, adducere propter periculum, ne fallantur rudes, ſeducantur indocti, inde concludentes malè hactenus egiſſe eccleſiam & eccleſiaſticos bona immobilia comparantes, peccaſſe contra jus Diuinum, & talia ſtatuta, in præiudicium licèt libertatis Eccleſiaſticæ à ſæcularibus emanata, non tantum eſſe conformia juribus, ſed ipſis etiam ſacris litteris.

Cæterùm quòd bona immobilia aut nobilia, veniendo ad manus Eccleſiaſticorum communibus oneribus in grauamen aliorum ſubducantur, in Germania & noſtra patria locum non habet, quo tamen iure id contigat ignoro, quod ſcio eſt, adeſſe in Germania & Bauaria noſtra ſiue ſit conſuetudo ſiue abuſus, quòd bona tranſeant cum onere ſuo, ita vt Eccleſiaſtici non minùs, quàm ſæculares, de talibus bonis immobilibus & Nobilibus Principi ſteuras & collectas ſoluere, aliaſque inmpoſitiones, ſimul atque in omnibus actionibus talia bona concernentibus ejus tribunal ſubire debeant; vt teſtatur ipſemet Illuſtriſſimus Dn. Baro Schmid.

Qui tamen vlteriùs addit: licèt Eccleſiaſtici ſimilibus oneribus ligētur, ſubtrahunt ſe tamē *oneribus, & ſeruitijs perſonalibus maximè militaribus: Nā guerræ tēpore, quandò euocatur Nobilitas pro defenſione patriæ, Eccleſiaſtici incapaces ſunt ad equeſtria ſeruitia praſtāda,*

nec

nec ſe ſæcularibus negotijs, & miniſterijs aulicis implicare poſſunt, qui militant Deo, vt proinde iuſtiſſima cauſa ſit eos à comparatione talium bonorum, quorum poſſeſſionibus eiuſmodi Seruitia perſonalia incumbunt, repellendi.

Sed quæro ex Illuſtr. Authore, an hæc intelligat de bonis nobilibus allodialibus, an de feudalibus? De poſterioribus eſt notiſſima ſententia DD. *ad tit. ext. de feudis*, quòd nequeant tranſire ad Monaſteria vel Eccleſias, ſi ab ipſa perſona vaſalli præſtanda ſint ſeruitia perſonalia; ex communi ratione, quia deſinunt Eccleſiaſtici eſſe milites ſæculi, qui facti ſunt milites Chriſti: Item quia hanc legem rei ſuæ fert Dominus directus, quandò eam ſecundùm dominium vtile concedit vaſallo: quod vtique ipſi liberrimum & nullo jure prohibitum eſt, cùm quilibet rei ſuæ ſit moderator & arbiter *L. in re. C. mandati.*

De prioribus ſeu allodialibus, ſi loquitur, non crediderim obſtrictam eſſe nobilitatem, horum poſſeſſorem, inſeruiendi Principi in aula, vel comitandi ad bellum ſuis ſumptibus; cum quia in praxi ab hiſce nobilibus aliud præſtari Sereniſſimis Principibus, quàm ſteuram equeſtrem, nunquam auditum eſt, nec aliquandò agnitum à nobilitate, tum quia allodium, quaſi liberum bonum à ſeruitiis & oneribus dicitur, atque per hoc præcipuè à feudo diſtinguitur. Quin ne eos quidem, qui bona ſua in feudum à Sereniſſimis Bauariæ Ducibus & Electoribus tenent, euocati videmus, vt Prin-

Principem ad bellum euntem comitentur. Quòd ſi in rariſſimis ſolennitatibus, v. gr. nuptiarum Ducalium; &c. ad aulam vocentur quidam, in ſuis Hoffmarchiis viuentes, nobiles; notum eſt vocari tantummodò eos, quibus à Principe honor cubiculariorum obtigit; non ſine hac conditione, vt adſint officio ſuo, ſi extraordinariè vocabuntur. Quæ cùm merè perſonalia ſint, bona non attinent. Conſuetum eſt noſtris Sereniſſimis Principibus Curiam & Militiam ex officialibus pro congruo ſalario ſeruientibus inſtruere, ſiue Bauari ſint, ſiue exteri; ſuntque ſemper numeroſiſſimi ſimul & digniſſimi competitores, qui officia togæ & ſagi ardentiſſimè prenſent vt adeò nulla ſit timenda penuria, quæ cogat euocari nobilitatem. Non ſunt in vſu apud Germaniæ Principes coacta Seruitia militaria, vel aulica, ſicut apud Polonos & & Moſcos; conducto milite militant, & conductis pro competenti honeſtiſſimo ſalario Miniſtris aulicis & Conſiliariis vtuntur. Id ſolummodò curant ſtatus Prouinciales; qui in noſtra patria ex Prælatis, Nobilibus & Ciuibus conſtant; vt ad vtrumque finem per legitimas collectationes ſuppeditentur ſumptus & media ſuppeditant autem inter omnes promptius & largius Prælati, & Eccleſiæ vt cuiuis notum eſt, etiam cum detrimento rei ſuæ familiaris, quocumque tandem ex titulo eiuſmodi Eccleſiaſticorum collectationes cohoneſtari queant, in quo equidem multum in *Semicent.* 2. *controu.* 15. Illuſtriſs. aduerſarius noſter laborat.

Nos

Nos vero in præſenti non angit, vtpote queis vnica intentio eſt, ad hominem oſtendere, nullam in ſęcularibus in patria noſtra cauſam eſſe quęrelandi aduerſus poſſeſſiones Cleri, cum euidens ſit euidentia facti Rempublicam noſtram, multo plus iuuari ſuppeditationibus Cleri, quam ſęcularium.

Illud alterum, quod prorſus immatura Criſi perſtringit Zoeſius cum multis aliis laicis, non debuiſſet ipſi, tanquam homini ſæculari, faceſſere negotium. Habent Eccleſiaſtici Moyſen & Prophetas, Summum Pontificem, Legatos Apoſtolicos, Metropolitas, Epiſcopos &c.]præuertent hi ſua vigilantia pericula luxuriandi & laſciuiendi]; & luxuriantes ac laſciuientes, ſi qui ex Clero ſunt, aut futuri erunt, debitis pœnis ſcient coercere, atque in hierarchia Eccleſiaſtica bonum ordinem obſeruare. Ceſſet hac ex parte ſollicitudo Zoeſii, ceſſet etiam aliorum. Nouerint ſe judices patrum ac Paſtorum ſuorum, aut reformatores Eccleſiæ minimè eſſe conſtitutos. Nouerint S. Martinum Turonenſem Epiſcopum Maximo Imperatori in faciem dixiſſe: *nouum & inauditum nefas eſt, vt cauſam Eccleſiæ judex ſæculi judicaret*. Nouerint Gelaſium Papam in Epiſtola ad Anaſtaſium Imperatorem eidem reſcribere: *Noſti*, inquit, *fili clementiſſime, quòd licet præſideas humano generi dignitate rerum terrenarum, tamen præſulibus diuinarum deuotus colla ſubmittas*. Vide Barboſam *in Collect. DD. ad cap. Eccleſia S. Mariæ ext. de conſtit. à n.* 13.

§. II.

§. II.

Authoritas D. Ambroſij & Hieronymi non ſuffragatur Decreto Amortizationis.

SVMMARIA.

I. *Authoritas SS. Ambroſij & Hironymi ab Illuſtriſſimo Authore poſitiuè aſſeritur Decreto amortizationis.*

II. *Verba D. Ambroſij, prout allegantur, ac ad affirmantem ſententiam trahuntur.*

III. *Origo Epiſt. Ambroſianæ, ex qua illa verba truncatim deprompta.*

IV. *Diu. Ambroſius neutiquam de lege amortizationis Imperatoria, ſed de improbis Gentilium legibus loquitur.*

V. *Textus integer refertur in rei euidentiam.*

VI. *A Theodoſio nulla lex amortizationis lata eſt.*

VII. *S. Ambroſius argumentatur ad hominem contra Ethnicos peſſimè agentes cum Sacerdotio Chriſtiano.*

VIII. *Explicatio verborum:* non putamus injuriam, quia diſpendium non dolemus.

IX. *Quomodo pro ſe allegêt authoritatem D. Hieronymi Author.*

X. *Textus Diui Hieronymi eſt truncatus; nam integer neutiquam excludit Eccleſias à ſucceſſione.*

XI. *Epiſtola S. Hieronymi ſcripta eſt ad juuenem Clericum religioſum.*

XII.

XII. *Religioſi ab initio capaces Dominij poſt profeſſionem, incapaces verè redditi legibus Cæſareis approbatis à Summis Pontificibus.*

XIII. *Non dicit S. Hieronymus,* cauterium juſtum, *ſed* cauterium bonum.

I.

QVò ſententia ſuſtinens valorem decreti amortizationis redderetur ſplendidior, etiam à ſanctis Patribus lucem eidem mutuare conatur nouiſsimus ejuſdem propugnator; dum poſt allegatos à ſe aliquot Authores Iorisconſultos (de quibus poſtea) ſic ait: *Obiiciunt quidem contrariæ ſententiæ Authores, Diuum Hieronymum & Ambroſium contrarium* (intellige, quòd repugnet immunitati lex amortizationis) docuiſſe; *ſed ſi illorum verba penitiùs inſpiciamus, clarè apparebit, ſanctiſſimos hos duos viros noſtram ſententiam non improbaſſe.* Poſt recenſitos verò vtriuſque textus illos non tantùm hiſce legibus non aduerſari, ſed etiam poſitiuè eiſdem patrocinari euincere ſtudet Illuſtriſsimus Author. Vnde licèt ab initio ſimulet, quaſi tantummodo eorum authoritatem remouere vellet, & oſtendere, quòd ſibi non obſit, reuerà tamen totis viribus annititur, vt ſententiæ ſuæ affirmanti vtrumque ſanctum Patrem propugnatorem conciliet, ſicut cuiuis legenti clarum erit. Auſcultemus citanti ambos SS. Doctores, & quia tempore atque Epiſcopali dignitate præceſsit D. Ambroſius, habeat hic primas.

Verba

II.

Verba D. Ambroſij, quæ allegat Peckius in epiſtola ad Valentinum Imperatorem l. 5. ſequentia ſunt. Scribuntur teſtamenta templorum miniſtris, nullus excipitur profanus, nullus vltimæ conditionis, nullus prodigus verecundiæ, ſoli ex omnibus Clero jus commune clauditur, à quo ſolo pro omnibus votum commune ſuſcipitur, officium commune defertur: *Sed addit idem Ambroſius:* Non enim putamus, *inquit*, injuriam, quoniam diſpendium non dolemus. *Ex quibus verbis, ait Author Diſcuſſionis problematicæ, apparet, Diuum Ambroſium excluſionem Cleri à ſucceſſione laicorum non habuiſſe pro iniurioſa.* Cæterùm nota benè, quòd Author ſpecialem energiam quærat, quando dicit: *Subnectit vlterius D. Ambroſius hæc verba:* Sola ſublata ſunt prædia; quia non religiosè vtebantur iis, quæ religionis iura defenderent.

Hanc nempe additionem facit Illuſtriſsimus Dominus, quo ſugillaret Clerum, quaſi iam tempore Diui Ambroſii abuſus fuiſſet bonis Eccleſiaſticis, quod epuidem præſenti Clero identidem obiectant eiuſdem oſores, non recogitantes, quòd propter abuſnm, per accidens contingentem, non debeat tolli rei bonæ vſus; aliàs enim vinum, pecunia, mulieres &c. quin omnia etiam ſacra è mundo eiicienda forent. Item non conſiderantes, quòd ſi alicubi, vno tempore, à malè moratis fiat abuſus, alibi & plerumque contingat optimus vſus. Sed redeundo ad epiſtolam Ambroſianam,

miſſam

miſſam ad Valentinianum (non Valentinum, vti in Diſcuſsione problematica vocatur) Iuniorem.

III.

Si eius originem inſpiciamus, ſtatim ambabus manibus deprehendemus, tunc temporis ne quidem ſomniaſſe Valentinianum aut Diuum Ambroſium de tali lege cuiuſdam Imperatoris Chriſtiani, vi cuius iuxta imaginationem aduerſariorum Clerus à ſucceſsionibus aut acquiſitione prædiorum excludi debuiſſet.

Anno igitur Domini tercenteſimo nonageſimo ſecundo (vti refert Cardinalis Baronius *in annal. Eccleſiaſt. ad cit. annum.*) poſtquam rediiſſet Imperator Theodoſius in Orientem, relicto in Occidente Valentiniano iuniore; cùm præſente Theodoſio de reſtituendis falſorum Deorum ſacris ne mutire quidem ſine grandi ſuo periculo auſi fuiſſent Senatores, qui erant Romæ Deorum cultores, meliorem ſpem conceperunt de Sacris ſibi denuò reſtituendis; quia ſciuerant Valentinianum valde iuuenem eſſe, atque ſic imaginabantur ſibi, poſſe eidem hanc reſtitutionem facilè perſuaderi. Miſerunt ergò nomine Senatus per Symmachum virum conſularem, atque eo anno Præfectum Vrbis Romæ, ad Ceſarem in Gallias, vbi tunc morabatur, relationem, qua repetebant aram Victoriæ, & ſumptus cerimoniarum.

Hoc vbi comperit Sacerdos Ambroſius, ſine mora epiſtolam mittit ad Imperatorem, quæ continetur *cit. lib.* 5. & eſt numero trigeſima, poſtulans,

lans, vt ad ſe relationis exemplaria dirigerentur, quibus ipſe pro partibus ſuis reſponſurus eſſet. Relatione itaque Ethnicorum ab Imperatore accepta, quæ inter dictam epiſtolam trigeſimam, & trigeſimamprimam ponitur, conſcripſit præclariſſimum libellum, ſeù allegatam epiſtolam trigeſimam primam, tam neruosè refutantem petitionem Gentilium, vt contra nihil vnquam auderet Symmachus, vir alioquin eloquentiſſimus, reſpondere. Vt autem breues ſimus, compendium contentorum in dicta relatione ex ipſo D. Ambroſio audiamus.

IV.

Tria igitur (ait in ſua refutatione Ambroſius) *in relatione ſua Vir Clariſſimus Præfectus vrbis propoſuit, quæ valida putauit. Quod Roma veteres, vt ait, ſuos cultus requirat. Et quod Sacerdotibus ſuis Virginibuſque Veſtalibus emolumenta tribuenda ſint. Et quod emolumentis Sacerdotum negatis fames ſecuta publica ſit.* His prænotatis.

Quandò ad ſecundum punctum refutandum venit S. Ambroſius, videlicet, vt Sacerdotibus Ethnicis ſua bona, emolumenta, prædia, &c. reſtituerentur; incipit arguere ad hominem, vt loqui ſolemus, quia eorum impudentiam efficaciùs retundere non poterat, obijciendo eis in faciem iniquiſſimas leges, quas Gentiles obſeruarent erga Sacerdotes Chriſtianos, quaſuè recentiſſimè innouauit impijſſimus Iulianus Apoſtata, & obiurgando ſuper peſsima, & ignominioſsiſima tractatione Cle-

ricorum Chriſtianorum, quos pro infamibus, incapacibus omnium Succeſsionum, &c. haberent.

Hinc totus laborat in eo, vt probè iſtis petitoribus inculcet, ne meliori modo petant tractari à Chriſtianis, quàm ipſi vi ſuarum tyrannicarum legum tractant Chriſtianos Sacerdotes. Sicque totus diſcurſus deſijt quaſi in illam regulam iuris: *quod quiſque iuris in alterum ſtatuerit, eodem, & ipſe vtatur, l.1.ff.h.t.*

Quæ ergò ex S.Ambroſio pro ſtatuto Amortizationis truncatim ab aduerſa parte ponuntur, non loquuntur de aliqua lege Clero inimica ab Imperatore tunc temporis lata, ſed de iniquiſsima tyrannide à Gentilibus in Chriſtianorum Clericos exercita, tenduntque eò, vt iam paria patiantur, qualia intulerunt Chriſtianis. Ad indubitatam fidem integra verba admetior D. Ambroſij.

V.

Ponamus tamen ſubſidia largitatum conferenda virginibus, quæ Chriſtianis munera redundabunt, quòd tantas opes ſufficiet ærarium? aut ſi arbitrantur ſolis veſtalibus conferendum, non pudet, vt qui totum ſibi ſub Imperatoribus Gentilibus vindicarunt, iÿdem ſub Principibus Chriſtianis non putent nobis ſortem debere eſſe communem? Sacerdotibus quoque ſuis, & Miniſtris queruntur alimenta publica non preberi. Quantus hìc verborum tumultus increpuit? at contra nobis etiam priuatæ Succeſſionis emolumenta recentibus Legibus denegantur, & nemo conqueritur. Non enim putamus iniuriam, quia diſpendium non dolemus. Si priuilegium

querat

quęrat Sacerdos, vt onus curiale declinet, patria, atque auita, & omnium facultatum poſſeſſione cedendum eſt. Quomodo hanc Gentiles, ſi haberent, ingrauarent querelam, quòd Sacerdos ferias miniſterij ſui emat totius patrimonij ſui damno, & priuatus vniuerſæ commoditatis diſpendio vſum publici mercetur obſequij: prętendens communis ſalutis excubias, domeſticæ inopiæ ſe mercede ſolatur, quia miniſterium non vendidit, ſed gratiam comparauit. Conferte cauſas. Vos excuſare vultis Decurionem, cùm Eccleſiæ excuſare non liceat Sacerdotem. Scribuntur teſtamenta templorum miniſtris, nullus excipitur profanus, nullus vltimæ conditionis, nullus prodigus verecundię; ſoli ex omnibus Clerico commune ius clauditur, à quo ſolo pro omnibus votum commune ſuſcipitur, officium commune defertur. Nulla legata, vel grauium viduarum, nulla donatio. Et vbi in moribus culpa non deprehenditur, tamen officio mulcta præſcribitur. Quod Sacerdotibus phani legauerit Chriſtiana vidua, valet, quod miniſtris DEI, non valet. Quod ego non querar, ſed vt ſciant quid non querar, comprehendi. Malo enim nos pecunia minores eſſe, quàm gratia. Sed referunt ea, quæ vel donata, vel relicta ſunt Eccleſiæ, non eſſe temerata. Dicant, & ipſi, quis templis dona detraxerit, quod factum eſt Chriſtianis. Quæ ſi facta eſſent Gentilibus, redderetur potiùs, quàm inferetur iniuria. Nuncciné demùm iuſtitia prætenditur, æquitas poſtulatur? Vbi tunc erat iſta ſententia, cum direptis omnium Chriſtianorum facultatibus ipſos vitales anhelitus Spiritus inuiderent, & nullis vnquam negata defunctis inhiberent ſuprema commer-

cia ſepultura? quos Gentiles præcipitarunt, maria reddiderunt. Fidei iſta victoria eſt, quod & ipſi jam facta majorum carpunt ſuorum: ſed quæ melioratio, vt eorum munera petant, quorum geſta condemnant? Nemo tamen donaria delubris & legata auruſpicibus denegauit; ſola ſublata ſunt prædia, quia non religiosè vtebantur iis, quæ religionis jure defenderent. Qui noſtro vtuntur exemplo, cur non vtebantur officio? Nihil Eccleſia ſibi niſi fidem poſſidet. Hos redditus præbet, hos fructus. Poſſeſſio Eccleſiæ ſumptus eſt egenorum. Numerent quos redemerint templa captiuos, quæ contulerint alimenta pauperibus, quibus exulibus viuendi ſubſidia miniſtrauerint, &c.

VI.

Hucuſque integer de verbo ad verbum cohærens textus Epiſtolæ Ambroſianæ. Ita deberet reddi ab aduerſariis, non ſecundùm malè truncatas periodos, ſeruientes ſeorſim ad faciendam malæ cauſæ bonam vmbram. Planè ita redditum textum non potuiſſet ſequi plauſus ille, quo in ſua Diſcuſſione problematica, de negatiua ſententia triumphat, Illuſtriſſimus Author, dum ait: *Diuus Ambroſius tantæ libertatis Eccleſiaſticæ defenſor fuit, vt Theodoſium Imperatorem ab ingreſſu Eccleſiæ prohibere auſus fuerit. Quis igitur dubitare poteſt, ſi hanc legem, quæ jam tempore Theodoſii viguit, iniuſtam, & immunitatem Eccleſiæ impugnantem cenſuiſſet, quin eidem in faciem reſtitiſſet.*

Reſtitiſſet vtique, ne dubita, ſi talis lex fuiſſet lata à Theodoſio Imperatore. Sed quis audebit religio-

ligioſiſſimo. Eccleſiæ ſtudioſiſſimo, Cleri obſeruantiſſimo Imperatori hanc palmarem notam impingere, tantum nefas de eo comminiſci? vbi, an in Codice Theodoſiano, an in Iuſtinianeo primæ aut repetitæ prælectionis, an vſpiam apud probatum Authorem in Annalibus reperire eſt, tam initum quam legem à Theodoſio promulgatam? abſit hæc cogitare de Auguſto, nunquam ob pietatem, aut Religionis zelum ſat laudato. De Gentilium tyrannide, qua perſecuti ſunt omnium bonorum direptione ſucceſſionum priuatione, quin ipſius ſepulturę negatione Chriſtianos Sacerdotes, commemorat D. Ambroſius, vt ex textu vides, vt palpas. His Gentilibus, ait, à Chriſtianis ſub Catholicis Imperatoribus in commeritam pœnam, ſublata eſſe prædia, quia non religioſè (hoc eſt, ad cultum DEI Ejuſque honorem, non in ſubleuationem pauperum, non in redemptionem captiuorum, ſicut aſſolent Eccleſiæ Chriſtianorum) iis vtebantur, cùm tamen ea vellent tenere jure & titulo religionis.

VII.

Vno verbo, S. Ambroſius per totum conatur, Ethnicos Imperatori ſupplices retundere, oſtendendo, quantò meliùs iam agant Chriſtiani cum illorum Sacerdotibus quàm ipſi agant, aut egerint cum Sacerdotibus Chriſtianorum, quandoquidem Criſtiani, relicto ipſis ſucceſſionis jure, & relictis donariis templorum, ſola ſtabilia prædia, ipſorum templis dedicata, abſtulerint; vt adeò obmuteſcere debeant, cùm in commeritam vicem

cem à Chriſtianis vix mediam talionis pœnam accipiant.

VIII.

Quando autem S. Doctor dicit: *Non putamus iniuriam, quia diſpendium non dolemus*: non hoc dicit, quaſi ſupremam Ethnicorum in Sacerdotium Chriſti tyrannidem approbaret, aut aſſereret, non eſſe repugnantem juſtitiæ, ſed quòd patienter fuerit tolerata, & toleretur ſine quærimonia à Chriſtianis, quòd non vſque adeò grauiter ad animum fuerit ducta ab illis, qui omnia terrena ſecundùm affectum contempſerunt, & cum Apoſtolo arbitrati ſunt vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifacerent. Sic etiam SS. Martyres de injuria non ſunt conqueſti, ſed gaudentes & exultantes ibant ad locum ſupplicii, non quaſi propterea reputarent ſe juſtè occidi, ſed quoniam gaudebant de occaſione Martyrii, ſummè à ſemet expetiti & æſtimati, vt tam parum eius intuitu curarent diſpendium vitæ, quàm parùm Sacerdotes diſpendium bonorum propter Chriſtum pati. Prò iſtorum, ipſa luce clariorum, confirmatione conſidera verba D. Ambroſii: *Quod ego non querar, ſed vt ſciant, quid non querar, comprehendi*. Quorum vtique ſenſus eſt. Quæ ego non commemoro, vt de illatis Sacerdotio Chriſtiano damnis multùm lamenter & conquerar, cùm amore Chriſti nec lamentati, nec conqueſti fuerint, qui talia ſunt paſſi, ſed vt ſciatur, quantum haberem cauſam conquerendi, ſi conqueri vellem. Ergò ſupponit D. Ambroſius

adeſſe abundantiſſimam cauſam querelandi de iniquitate in eiuſmodi impiiſſimis Gentilium legibus, dicit tamen, ſe nihilominùs haud conqueſturum.

Poſteaquam verò aduerſantium error in abuſu authoritatis D. Ambroſii, tum ex textu epiſtolæ, tum ex deductis euidenter conſtat, videtur ſaltem Illuſtriſſimus Diſcuſſionis Author propter habitam bonam fidem excuſari poſſe, quia fragmenta textus legit & deſcripſit ex Peckio, quæ ipſum ſeduxerunt, vt exiſtimaret, omninò pro ſua parte ſtare Diuum Ambroſium. Excuſo & ago lubentiſſimè, timeo tamen, ne multi alii, fortè non immeritò, grauiter vituperaturi ſint, quòd tantus vir, cui tales textus SS. Patrum alleganti ſæculares, ceu oraculo confidant, in tanta cauſa cautius non inceſſerit, non inſpexerit ipſum fontem, commentarios S. Patris, crediderit citanti Iuriſconſulto in ſacris Patribus non verſato, qui probabiliter & ipſe ex alio deſcripſit Iuriſconſulto, cauſæ noſtræ inimico, ſtudioſo verborum tanti Præſulis detruncatore; quin fortaſsè omninò heterodoxo. Humanum, quotidianum, atque ideò ignoſcendum eſt, errari in citatione vnius alteriuſue Doctoris Scholaſtici in cuius authoritate minimè ponitur apex veritatis; quis enim facilè penitus omnes oculariter inſpicit? valdè verò indecorum eſt, errari in citatione textuum S.Scripturæ, SS. Patrum, Iuris vtriuſque &c. in quorum authoritate fundamentum veritatis noſtrarum ſententiarum collocamus.

Timeo, ne ſint vituperaturi 2. quòd tam illuſtri intellectu præditus Doctor non ex ipſis primis verbis textus à ſe citati aduerterit, ſenſum eiuſdem ſibi non quadrare: hæc ſonant: *Scribuntur teſtamenta templorum Miniſtris, nullus excipitur profanus, nullus vltimæ conditionis, nullus prodigus verecundiæ, ſoli ex omnibus Clero Ius commune clauditur*. Debuiſſet enim ſecum ita ratiocinari. Vel verba: *Scribuntur teſtamenta templorum Miniſtris*; intelligenda ſunt de Sacerdotibus Ethnicis, de ſeruientibus templis idolorum? Et tunc vtique fieri non poterat, vt talis lex proficiſceretur à Theodoſio Imperatore Chriſtianiſſimo, cùm paradoxum ſit Orthodoxum Imperatorem plus deferre falſorum Deorum ſacrificulis, quàm veri DEI Sacerdotibus, illis concedere, quod his negaret, illi fauere, hos odiſſe. Vel intelligenda ſunt de Sacerdotibus & Clericis Chriſtianis? & tunc euidenter textus ſeipſum euertit, dum aſſerit concedi, vt Clerici ſcribantur in teſtamento hæredes, ſimulque conqueritur, quòd ſoli Clerici ab hoc jure ſecludantur. Ita ſi ſecum, quod ſapientiſſimo viro facillimum erat, ratiocinatus fuiſſet, procul dubio deprehendiſſet, loqui D. Ambroſium, non de lege Theodoſii, aut alterius Imperatoris Chriſtiani, ſed de legibus Gentilium perſecutorum.

IX.

Quàm parùm autem S. Ambroſii authoritas ſuffragatur contrariæ ſententiæ patronis, tam parùm confert D. Hieronymi. Illius verba *epiſtola* 2.

ad

Digitized by Google

ad Nepotianum ſunt iſta : *Pudet dicere, Sacerdotes idolorum, Mimi, Aurigæ: Scorta hæreditates capiunt, ſolis Clericis & Monachis hoc lege prohibetur, non à perſecutoribus, ſed à Principibus Chriſtianis: Non de lege conqueror, ſed doleo, cur meruimus hanc legem. Cauterium bonum eſt, ſed quod mihi vulnus, quòd indigeam cauterio? Prouida ſeucraque legis cautio: eſt tamen neceſſe, vt refrenetur auaritia.*

Audi, amice Lector! quàm altè iterum intonet poſt iſthæc verba propugnator legis Amortizationis. *Ecce! cauterium iuſtum vocat, & de lege non conqueritur. Si igitur S. Hieronymus hanc legem* (intellige Amortizationis) *illicitam & immunitati Eccleſiaſticæ contrariam exiſtimaſſet, quis dubitat, quin non adulatus, ſed de ea grauiſſimè conqueſtus eſſet? cum ex illius ſcriptis ſatis conſtet, quanta ſemper libertate loquendi vſus fuerit.*

X.

Sic nempe agitur, quoties cum Eccleſiis ſincerè non agitur! Quare non etiam poſuit Illuſtriſſimus Author illa verba, quæ in citata epiſtola D. Hieronymi ſequuntur. *Sit hæres, ſed mater filiorum, id eſt, gregis ſui, Eccleſia, quæ illos genuit, nutriuit & pauit?* Vbi manifeſtè vides S. Hieronymum ſupponere leges Cæſareas, tunc temporis ex male arrogata poteſtate latas, neutiquam excludere à ſucceſſione Eccleſias & Monaſteria in communi, ſed tantùm Monachos & Clericos religioſos, Euangelicam paupertatem profeſſos, in particulari, quos vellent eſſe incapaces Dominii, &

non

non habere ſibi propria, quæ relicta aut legata ſunt, ſed ea acquiri Monaſterio in quo alerentur. Et tunc ſolutum fuiſſet totum argumentum.

XI.

De reliquo ſcias primò epiſtolam hanc datam eſſe ad Nepotianum Monachum ſimul & Clericum, ſeu Clericum Religioſum, quales jam ad diſcrimen ſæcularium, quando deſeruiunt in communi viuentes Eccleſiæ collegiatæ, vocamus Canonicos regulares, qui à beato Hieronymo præcepta viuendi ardentiſſimè expoſtulauerat: nam ſic inchoat epiſtolam. *Petis à me Nepotiane Clariſſime, litteris tranſmarinis & crebrò petis: vt tibi breui volumine digeram, præcepta viuendi, & qua ratione, qui ſæculi militia derelicta, vel Monachus cæperit eſſe vel Clericus, rectum Chriſti tramitem teneat, ne ad diuerſa vitiorum diuerticula rapiatur.* Ad finem verò ingreſſus epiſtolaris longè clariùs hoc habet. *Scio quidem ab auunculo tuo beato Heliodoro, qui nunc Pontifex Chriſti eſt, te & didiciſſe, quæ ſancta ſunt: & quotidie diſcere, normamque vitæ eius, exemplum habere virtutum. Sed & noſtra. qualiacunquè ſunt ſuſcipe, & libellum hunc libello illius copulato, vt cùm ille te Monachum erudierit, hic Clericum doceat eſſe perfectum.*

XII.

Scias 2. ab initio, vt eſt vnanimis omnium Theologorum in materia dominii religioſorum, Religioſos non fuiſse incapaces dominii & proprietatis, donec eadem paulatim primæuo feruore remittente cœperint in diſpendium Status religioſi

gioſi abuti. Ea propter ſucceſſiuè Imperatores Chriſtiani, vitæ religioſæ amantiſſimi ex bono & ſimplici zelo, licet nec ad eorum officium nec iuriſdictionem hoc pertineret, varias leges promulgarunt, quibus religioſos & Monachos in particulari reddere conabantur incapaces Dominii, Legatorum, Donorum, & hereditatum ſibi in particulari acquirendorum, ſed vt ſimilia communitati, Monaſterio & Eccleſiæ, quæ eos nutriret, aquirerentur. Sicut ex tali ſimplici zelo de Eccleſiis, Epiſcopis, Clericis, Epiſcoporum audientia, alienationibus Eccleſiaſticis &c. varias promulgauere leges, vt videre eſt *lib. 1. C. Iuſtinianei & alibi*. Sed non peruicerunt vſque ad Iuſtinianum; tum enim iſtæ leges denuò innouatæ, auth. *ſi qua mulier.* auth. *ingreſſi C. de SS. Eccleſiis*. Nouel. 5. *cap.* 5. Item Nouel. 123. *c.* 38. non ſua vi (quia à legislatore laico latæ nequibant religioſos obligare) ſed receptione Eccleſiæ, ac approbatione Pontificia *can. 7. cauſ. 19. qu. 3. cap. cum ad Monaſteriorum ext. de ſtatu Monachorum & Canon.* executioni mandatæ ſunt, abrogata omnibus religioſis priuata ac particulari proprietate. De talibus ergo legibus iam ab antiquioribus, & D. Hieronymo coæuis Imperatoribus attentatis, & poſtmodum ſucceſsu temporis à Iuſtiniano reſuſcitatis cum loquatur S. Hieronymus, vt conſtat ex dictis, nulla ratione trahi poteſt in partem aduerſam.

XIII.

Scias 3. S. Hieronymum nequaquam vocare

vti

(vti Illuſtriſſimus Author vocat) hanc legem *juſtum cauterium* : ſed *cauterium bonum* : quæ toto cœlo ſunt diuerſa ; nam ſi juſtam vocaret, approbaret abſolutè legem : quandoquidem in rei veritate juſtum dici non poteſt , quod ſimpliciter & abſolutè tale non eſt , E contra verò bonum aliquid dicitur, & eſt, vel reſpectiuè , vel abſolutè . Sic. e. gr. de homine decoctore flagitioſo, à prædonibus bonis ſpoliato , rectè quidem dixeris : bonum eſt , eidem eſse ablatas diuitias ; vt videlicet ex earum carentia tandem reſipiſcat : non item bene dixeris, juſtè ei eſse ablatas . Aliud itaque eſt , S.Hieronymum , vti erat religioſæ diſciplinæ eximius zelator , talem legem Imperatoriam dicere bonam , quatenus refrenat immoderatam concupiſcentiam religioſorum , diſsolutiuam diſciplinæ ; aliud eſt abſolutè approbare , quatenus non tantùm ſecundùm materiam ſpectata bona eſt , ſed etiam quatenus eſt inſtructa omnibus conditionibus ad legem pertinentibus , inter quas prima eſt jurisdictio in eos , quibus fertur , quæuè hic deficiebat . A quo abſtraxit S. Hieronymus , & meritò ; quia penitùs immaturum fuiſset apud priuatum religioſum, quem in illa epiſtola ſumpſerat ſibi inſtruendum in vita perfectè inſtituenda , & abdicando affectu erga omnia temporalia bona, juſtitiam legum Cæſarearum examinare, aut de earum injuſtitia conqueri : tum quòd priuatus Clericus mederi injuſtitiæ minimè poſset , tùm etiam , quòd hoc ipſo in S.Hieronymo affectum erga temporalia adhuc perduran-

durantem cum ſcandalo, licèt imprudenti, forſitan ſuſpicatus fuiſset nouellus religioſus, ſi legiſſet S. Hieronymum ſolitò aliàs in eiuſmodi inualida decreta Cæſarum declamare.

Tandem noueris S. Hieronymum præſenti epiſtola erudire in aſceſi Monachum Nepotianum: Multum verò intereſt diſcutere, an SS. Patres concionatoriè vel aſceticè, an verò dogmaticè loquantur. Hoc poſtremum ſi faciant, tunc ſolummodò in Scholis pro aſsertione Theologica aut Canonica authoritatiuè citari ſolent, non item ſi prius, prout infinitis exemplis declarari poſset. Optimum foret, ſi ſæculares officium interpretandi ſacram Scripturam & SS. Patres ſibi non arrogarent, cùm ſit præter eorundem inſtitutum, nec ad hoc munus habeant ſibi datam à Deo gratiam.

§. III.

Non ſuffragatur Decreto Amortizationis Authoritas Rotæ Romanæ.

SVMMARIA.

I. Rotam pro ſe ſtare conatur euincere Author Diſcuſſionis problematicæ.

II. Sed non euincit, quia Rota loquitur de conſuetudine eccleſiaſtica non laica.

Textui

I.

TExtui ſacræ ſcripturæ malè allegato; de quo §. I. hujus capitis, Illuſtriſſimus Author pro maiori robore ſententię affirmantis ſubjicit ſequentia: *Hanc ipſam conſuetudinem ſiue legem approbare videntur Domini de Rota deciſ.* I. *in tit. de conſuetud. anliquis*; incipit; *Suppoſita conſuetudine, vbi dicunt, quod ſi conſuetudo excludat à bonis paternis profeſſum, ſi apoſtatando exeat Monaſterium, & de facto matrimonium contrahat, adhuc maneat ad ſuccedendum inhabilis virtute dictæ conſuetudinis; quibus verbis præſupponunt, talem conſuetudinem validam eſſe.*

II.

Argumentum iſtud nihil ad rem, nobis verò nullum negotium faceſſit, proin breuiſſimè nos illo expediemus. Nam Domini de Rota non ſupponunt hanc conſuetudinem à laicis introductam eſſe, vi cuius ſæculari authoritate apoſtata puniretur incapacitate ſuccedendi, ſed eſse introductum à tribunalibus Eccleſiaſticis in certis prouinciis & diœceſibus, quales conſuetudines etiam, contra jus Pontificium commune, ſi legitimè præſcriptæ ſunt, valere eſt receptum apud DD. per textum *in cap. fin. ext. de conſuet. cap.* 3. *eod. in* 6. *& Clement. fin. de ætat. & qualit. præficiendorum*. Argumentum itaque nullatenus pro defenſoribus ſtatuti amortizationis pugnat; cùm peſſima ſit conſequentia. Rota Romana ſupponit valere conſuetudinem Eccleſiaſticam diſponentem contra jus commune Canonicum de perſonis & bonis Eccleſiaſti-

ſiaſticis: ergò etiam ſupponit valere conſuetudinem à laicis introductam, diſponentem contra jus commune Canonicum de perſonis & bonis Eccleſiaſticis. Sicut peſſima foret conſequentia: Eccleſiaſtici poſſunt aduerſus Eccleſiaſticos præſcribere juriſdictionem Eccleſiaſticam: ergò etiam laici poſſunt præſcribere eam aduerſus Eccleſiaſticos. Videatur Cardinalis de Luca *de alienat. & contractibus prohibitis diſcurſu* 39. *num.* 12. vbi ait, Rotam & Curiam habere opinionem Canoniſtarum & Moralium, repugnantem talibus ſtatutis & conſuetudinibus laicalibus, pro recepta; adducit inſuper decisionem Rotæ 157. *num.* 23. *& ſeqq. par.* 11. *Recent.*

§. IV.

Non ſuffragatur Decreto Amortizationis vſus plurium Prouinciarum.

SVMMARIA.

I. Argumentum ductum ex particulari conſuetudine aliquot regnorum.

II. Reſponſio Suarezii ad hoc argumentum.

III. Adhuc efficacior ex ipſo ſanctiſſimo ore Summi Pontificis *Paoli V.*

IV. *Diſſidium inter hunc Pontificem & Sereniſſimam rempublicam Venetam à* Ioanne *Palatio relatum.*

V. *Se-*

V. *Sequelæ propugnatoribus ſtatuti Amortizationis notandæ.*

EA jam eſt temporum noſtrorum miſeria, vt multoties etiam doctiſſimi quique malint eſſe doctores facti, quàm juris, præſertim vbi de immunitate Eccleſiaſtica agitur; omnem attentatorum ſuorum juſtitiam ex facto dimetiuntur, omnem licentiam ex facto ſibi arrogant, omne ius ex facto cudunt. Adoleſcit paulatim pernicioſiſſima diſcurrendi ratio: *ita ſit: ergo licet. Ita factum eſt, ergò porrò faciendum eſt. Ita practicatur: ergò iuſtiſſimum eſt.* Ab initio autem non fuit ſic, ait Chriſtus *Matth.* 19. olim maiores noſtri non ius ex factis, ſed facta ex iure metiebantur: Iura enim & Leges ſunt regulæ factorum ac operationum humanarum, non viciſsim. Iam in Paradiſo emortua eſt lex naturalis obediendi DEO creatori, ſi factum Adami contrarium illud ſuſtulit. Prima die, qua publicata, deſiit lex Decalogi, quia vtique non defuerunt, qui illam violauerint, nec adhuc deſunt proh dolor! milleni & milliones, qui violent. Igni dari oportet omnia iuris vtriuſque Corpora, Decreta Pontificum, Reſcripta Imperatarum. Leges Principum, quia facta ſunt contraria: cui enim ex omnibus fuit immunitas à violatione per contraria facta? cur improbo labore in iuris apices enitimur? cur legum rationes ad debilitatem vſq; capitis & valetudinis inueſtigamus? Cur dies noctesque deſudamus in aperiendo Decretorum

torum nucleo? Cur puluere librario ſordeſcimus, euoluimus immenſes iuris vtriuſque interpretum commentarios? Si tota gerendorum iuſtitia ex nudo facto pendet. Quid turpius viro docto quàm in arduiſsimis quibuſue negotiis concernentibus grande præiudiciũ proximi in bonis fortunæ grande prędiudicium ipſius Reipublicæ, grande præiudicium Eccleſiæ ac Eccleſiaſticæ libertatis &c. præcisè ex factis, quin interdum ex vno tantùm alteroue, concluſum formare pro æquitate, pro iuſtitia. Factorum fines & circumſtantiæ, factorum iuſtitia, factorum conformitas cum Iure Naturali, Diuino, Canonico, Ciuili, ac receptis conſuetudinibus, non reprobatis à Iure Pontificio, exactisſimè trutinanda, & cum his omnibus, vt ita loquar, ſtudioſiſsimè ſunt confrontanda. Et tum demum imitanda ſunt, ſi ab his omnibus non diſſonant, damnanda verò vbi ab hiſce diſcrepant: ut etiam hic habeat locum regula *64.* iuris in *6. quæ contra ius fiunt, debent vtique pro infectis haberi*.

I.

Sciens hæc Sapientiſſimus Author Diſcuſſionis, ſententiam Decreto Amortizationis patrocinantem, vel maximè iuris Authoritate, ac ratione ſtabilire conatur; & argumentum, quod communiter petitur à defenſoribus ex facto multorum particularium regnorum ac prouinciarum præcisè collocat ex parte probabilitatis extrinſecæ, quæ prouenit à multitudine aliquam ſententiam tenentium.

Digitized by Google

tium. Sic autem loquitur. *Accedit, quod hæc lex in plurimis prouinciis uſu recepta ſit, vt de Gallia teſtatur Guglielmus Benedictus in cap. Raynutius verb. vxorem nomine Agelaſiam num. 44. de diſtrictu Parienſi Rebuffus de decimis qu. 14. num. 50. De Germania Gail l. 2. obſeru. 32. num. 5. De Luſitania Ludovicus Molina de iuſt. & iur. diſput. 140. nu. 17. De Anglia adhuc Catholica Petrus Gregorius Tholoſanus. de rep. l. 13. c. 16. n. 3. De Mediolano Signorol. de homod. conſil. 21. de Republica Veneta, omnes illi Doctores qui ſcripſerunt de differentiis inter Paulum V. & eandem rempublicam præterito ſæculo agitatis. De Auſtriacis prouinciis nos ipſi teſtes ſumus, & poſſemus in teſtimonium exhibere Cæſareum reſcriptum. Certè tot regnorum & provinciarum ſtatuta, leges & conſuetudines improbare, & ut vitioſas damnare, nobis videtur nimis eſſe præſumptuoſum.*

II.

Grauia ſane verba à grauiſſimo viro, quæ terrere poſſent animum ſibi non conſtantem. Grauiſſimum igitur Authorem produco, qui reſpondeat Franciſcum ſcilicet Suarez. *Contra regem Angliæ l. 4. c. 32. n. 23.* vbi habet ſequentia: *Ex dictis ſatis conſtat, nullam conſuetudinem, etſi immemorabilis ſit, vllo modo contra immunitatem Eccleſiaſticam præualere poſſe, ſolùm obijci ſolent quædam particulares conſuetudines aliquorum regnorum, quæ licèt ſint contra immunitatem eccleſiaſticam, ſine ſcrupulo à Magiſtratibus laicis obſervantur; ad illas verò poſſumus vno verbo reſpondere, illas conſuetudines non ad ius, ſed*

Digitized by Google

ad facta hominum pertinere, propter quæ veritatem negare non poſſumus; neque illorum rationem dare tenemur, ſed ad illos ſpectat, qui conſuetudines illas obſervant.

Venias tu iam, & dicas; Galia obſeruat amortizationem, obſeruat Luſitania,&c. Et ego reſpondebo tibi, mea & tua hæc non referre. Noſtrum in præſenti eſt præcisè indagare, quid iuris? an reuera iure prohibitum ſit, talem legem ferre? an talis Lex reipſa repugnet liberati Eccleſiaſticæ? an per ſe talis lex damnetur à ſacris Canonibus? Et oſtendimus euidenter, quod ita, oſtendunt nobiſcum Canoniſtæ & Theologi vniuerſim, loquuntur apertè textus utriuſque iuris per longum deducti & roborati capite 2. Cur autem Gallia, Luſitania &c. contrarium practicent, eſt meriſſima quæſtio facti, cuius rationem, & iuſtitiam dare debebunt Gallia & Luſitania &c. non tu, non ego. Hæc aut priuilegio Pontificio ſe tuebuntur, quo tu cares, aut nullo priuilegio Pontificio ſe tueri poterunt, ſicque merè agunt via facti ae præuaricantur, conſequenter tu ſequi non poteris; cùm ſequendo errantem euidenter non declines errorem. Verum mox audies, quò iure, quod alios communiter prohibitum eſt, agant Franci, agant Luſitani &c.

Interim quemlibet per ſalutem ſuam rogitamus, vt altiſſimè animo ſuo imprimat, eſſe hanc in particularibus immunitatis eccleſiaſticæ materiis turpiſſimam ac prorſus execrabilem conſequentiã *In hoc vel illo puncto derogatur immunitati Ecclesiaſti-*

cæ communi in Francia, in hoc, vel illo Regno &c. ergò licebit quoque in Germania, in Bauaria, &c. Vel enim ſupponis, in Francia agi tantummodo via facti, & ſic ſupponis, iure non fieri, quæ fiunt. Quo modo ergò tu iuſtè imitaberis? vel ſupponis, fieri ex ſpeciali priuilegio. Quo modo ergo parem tibi aſſeris poteſtatem, cùm ſcias, tibi par non eſſe priuilegium?

III.

Quoniam verò illuſtriſſimus Author meminit controuerſiarum, quæ inter ſanctiſſimum Paulum V. & Sereniſſimam Rempublicam Venetam interceſſerunt, occaſionem opportuniſſimam præbet ex ipſo Pontificis ſacro ore reſponſionem ad productum argumentum ex vſu multarum Prouinciarum deſumere. Refert hanc reſponſionem recentiſſimus & Celeberrimus Author Venetus Ioan. Palatius in geſtis Pontificum in annotationibus ad geſta Pauli V. n. 3. videlicet, poſtquam Auguſtinus Nanius Venetorum Legatus Decretum amortizationis Anno Domini 1605. pro toto Dominio Veneto promulgatum coram eodem ſanctiſsimo iuſtificare conatus fuiſſet per hoc: *Quod idem ſernetur in Gallia, Luſitania, Sarmatia, & pleriſque locis Italiæ; item, quòd Clemens Pontifex Domum Lauretanam in dies fidelium vndiq; donis congeſtis, ſeſe efferentem compreſſerit, nève agros circumiectos ad ſe traheret in poſterum.* Repoſuit ad ea Paulus: *Si Clemens Domui Lauretanæ vltra immobilium poſſeſſionem extendere prohibuit, potuit, quia Princeps & Pontifex.*

Id

Id ſi aliæ ſunt æmulatę Nationis nunquam abſque Sedis Apoſtolicæ authoritate ſimilia attentarunt. Idem Senatus petat. Re perſpecta, ſi ſacræ Sedi videbitur, forſan non denegandum. Quæ enim ad Eccleſias ſacratosue viros pertinent, non regij, ſed iuris ſunt Pontificij.

Nunquid iam vides, à quo Gallia, Luſitania, Sarmatia ſeu Polonia habeant (ſi tamen iurè habent) legem amortizationis? nempe à Papæ authoritate habent, quem capite primo diximus, poſſe ex graui cauſa aliquid iurisdictionis in Eccleſiaſticos laicis concedere, poſſe dare licentiam in vno alteròue reſtringendi libertatem eccleſiaſticam. Superſediſſet, credo illuſtriſsimus Author meminiſſe huius diſſidii inter Paulum Pontificem ac Venetos, ſi benè perſpectum habuiſſet, eius acta & facta, ſibi & amortizationi è diametro aduerſari. Quòd autem bene perſpectuum non habuerit, deſumo exinde, quia has controverſias ait agitatas præterito ſæculo, cùm tamen contigerint hoc præſenti ſæculo ſeptingenteſimo: Nam Paulus V. electus fuit die 16. Maij Anno 1605. & obiit die 28. Ianuarii 1621. Decretum verò amortizationis à Sereniſsimo Senatu toti Dominio Veneto promulgatum fuit eodem anno d e 17. Calend. Aprilis, vt loco citato refert Palatius, cum aliis Chronographis paſsim.

IV.

Inſigniſsimus hic Author, etiamnum viuens, Ducalis Canonicus, & Sacræ Cæſareæ Maieſtatis Hiſtoriographus, olim SS. Canonum Profeſſor in

Digitized by Google

Academia Patauina, iam verò in Veneto Lycæò Iuriſprudentiæ profeſſor; qui in ipſa Venetorum Auguſta Vrbe ſcribit, conſequenter minimè ſuſpectus eſſe poteſt; quòd contra Venetos pro Sede Pontificia ſe partialem gerat, à nobis circa hòc diſsidium audiendus eſt; vt inde evidenter colligamus, quis ſenſus ſit ſanctiſsimæ ſedis ſuper iuſtitia Legis Amortizationis. Sic itaque in vita Pauli V. cit. n. 3. refert.

Inde ad reparandam conuerſus Eccleſiaſticam immunitatem; accedentibus Legatis Principum cùm gratias ageret, de Eccleſiaſtica libertate ſemper verba miſcebat teſtatum volens, ſe pro ea libentiſſimè ſanguinem effuſurum. Prima in Ianuenſes ſollicitudo; à quibus nonnulla decreta vt abrogarentur, impetrauit. Inde facile in Venetos, in quos rumorem excitabant temeratæ immunitatis Aemuli; cum audiſſet Vincentinum Canonicum, *è familia Saracenorum à Decemuiris in ius vocatum, per Legatum ordinarium poſtulauit, vt Saracenus ſuo remitteretur Antiſtiti.* Erat *iſte nondum maioribus ſac is initiatus, & cuiuſdam Matronæ amore captus, affinis ſuæ; cùm minus, nec precibus in ſuam ſententiam pellicere potuiſſet, amore in rabiem verſo, fores illius domus noctu turpiſsimè fœdauerat. Matrona autem ad pedes Decemuirùm conuolante, & lacrymis vindictam exigente, inquiſitio declinari haud potuit. Quà cùm* Saracenus *plurium teſtium dictis reus appareret; non ſolùm de iniuria Matronæ illata, ſed & per ſummum ſcelus publica abraſiſſe ſigilla in Iudicium vocatur. Huius occaſione adfuere, qui inteſtino in Venetos*

netos odio æſtuantes: Duo Senatus conſulta ad Pontifi-tem detulerunt, alterum anni 1605. 17. *Cal.* Aprilis, *quo cauetur*, vt quod à maioribus Anno 1536. in Venetiarum Ciuitate & Ducatu ſancitum fuerat, id in toto Dominio ſeruaretur. Ne inconſulto Senatu Eccleſiæ, vel loca pia acquirere poſſint bona immobilia titulo perpetuo. Legata ſi ei fuerint ex teſtamento, vel alio titulo, vendantur, & pretium ſoluatur Eccleſiæ; quod poſtea in cenſum & fœnus locari poteſt. *Alterum Anni* 1603. 4. *Idus Ianuarij*, quo ne Xenodochia, Monaſteria, religioſi cœtus Senatu inſcio induci poſſint, pœnis prohibetur grauiſsimis. *His cùm imminutam crederet Eccleſiæ libertatem Pontifex, deleri mandat. Acceſſit per eos dies*, quòd Brandolinus Abbas Neruеſiæ *ob nefaria ſcelera, quæ ob atrocitatem ſilere præſtat, iuſſu Decemuirùm in carceres coniectus fuerat; Et hunc unà cum* Saraceno *remitti apud* Horatium Mathæum *apud Rempublicam Nuntium petenti Pontifici. Patres reſpondent, nihil noui feciſſe rempublicam, leges ſolummodo inſtauraſſe antiquas.* Legem *latam anno* 1536. *de non alienandis laicorum bonis, Principe inconſulto, vigere adhuc in maioribus Comitiis, tercentis abhinc annis decreto vetitam, ne republica inſeia; nouæ inducantur Eccleſiæ. Morem autem iudicandi quodcunque genus hominum in grauiſſimis criminibus, vnà cum republica exortum fuiſſe, ſummorum Pontificum Diplomatibus & priuilegiis confirmatum. Propterea rogare, ne turbulentiſſimis temporibus, quibus Barbarorum arma in foribus ſtrepebant Italiæ, filios turbaret obſequentiſſimos.*

quentiſſimos. Maioris obſequij gratia quatuor Oratores Romam miſerunt Scipionem Burgheſium, Pauli Nepotum, Franciſcum ac Ioannem Baptiſtam *fratres inter Patritios (ſummus hic honos, & Regibus expetitus) cooptàrunt ad promerendum amorem Pontificis. Nil tamen actum. Leges abrogari iterum poſtulatus adijcit*: quòd ære alieno dificillimis temporibus antiquitùs contracto, ſe abſoluere nihil erogando Senatus decreuerit, id non paruo ſacrorum detrimento futurum; quod mutuis pecuniæ commerciis Ferrarienſibus negotiatoribus ſit interdictum: quod ſuis in Adriatico Sinu nauigatio tuta, liberaque non ſit; quòd Phari Antiſtes è Venetis ditionibus ſit eiectus: *Iis cùm Oratores exactè reſpondiſſent: quæ præterea à Senatu in mandatis habebant, exponunt: ac primùm*, ne nuper electus Antiſtes Romam examinandus accedat; *petunt* Id ſe apertè conceſſurum Paulus *negat*. Sacerdotum decumas ad rempublicam, grauiſsimà impenſarum mole, aliqua parte leuandam, nunquam per negatas *flagitant*; Quid ſibi in ea re decernendm ſit, cogitaturum, *reſpondet*. Cenetenſium controuerſiæ, quæ iam dudum inter Apoſtolicam ſedem, ac Rempubl. vigebant, vt tandem definiantur, *rogant*. Immaturum eſſe negotium, *inquit. Sic nulla re impetrata Oratores diſcedunt. Interea* Maphæus *in Principis, ac Patrum Collegio graui ac ſeuero ſupercilio enuntiat, æternæ damnationi obnoxios, qui leges condidere: Clericos in iudicium vocari nefas eſſe. Ni quam primum*

Reſpu-

Reſpublica obtemperet; acturum Pontificem, quod libertas exigit Eccleſiaſtica. Reſpondit Senatus. quòd licet poſt Deum nullum in terris iudicem aut Cenſorem agnoſcat; pro ſua tamen in SS. Sedem reuerentia, dicere, non ex odio in viros Eccleſiaſticos, vel eorum bona ſe fuiſſe excitatum; cùm in coleuda pietate, ac religione retinenda, nulli vnquam ceſſerit; Sed ad Ciuitatis commodum, maiorum exemplo leges condidiſſe. Non enim impedire Eccleſiarum couſtructionem, quæ plures, ac ſplendididiſſimæ conſpiciuntur in Venetorum Imperio, non religiones prohibere nouas, quorum perfugium ſemper extitit Ciuitas Veneta; id tantùm, ne in conſultò Senatu fiat, & inuito. Nihil ab Eccleſia peti, ſed vt religioſi iis, quæ poſsident, quæ ſanè ampliſsima ſunt, contenti, laicis, quæ ſuperſunt, relinquant immobilia; & non auferant ſaltem inſcio Principe. Religioſos in ius vocare, ex vetere reipublicę more, Pontificum repetitis decretis adprobato, in cauſis grauiſsimis non denegari Decemuiris, à quibus ob publicam tranquilitatem nullus eximitur in Republica. *Plura addiderunt ad leniendum Pontificem, & cunctis ſuffragiis Senatus, licèt frequentiſſimus eſſet, adprobauit reſponſum, miſſis exemplaribus diplomatum Pontificiorum, quibus veritatem* Nanius *oſtenderet. Adiungebat.* Nil damni inferri Religioſis, ſi bonorum pretium, quæ eis ex teſtamento contingat, ſoluatur. Idem ſeruari in Gallia, Luſitania, Sarmatia, & pleriſque Italiæ locia. Sic Clementem Sanctiſſimum & Prudentiſ-

ſimum

Digitized by Google

ſi num Pontificem Domum Lauretanam indices fidelium vndique donis congeſtis, ſeſe efferentem compreſiſſe, nè vè agros circumiectos ad ſe traheret, impoſterùm. Principi non ſolùm conducere, ſed ipſis religioſis, ne quid noui inducatur religionis prætextu. Nouum forſan vt templi ſpecie ſeditioſi poſſint arces moliri contra Principem; & hæreſes ſpargere, ſpecie pietatis? *Ad ea Paulus*: Quòd veteri conſuetudine Reſpublica vtatur; id potius ei officit. In re ſummi momenti hucuſque erratum. Qui eiuſmodi condidere Decreta, ęternis torquentur cruciatibus. Si Clemens domui Lauretanæ vltra immobilium poſſeſſionem extendere prohibuit, potuit, quia Princeps, & Pontifex. Id ſi aliæ ſunt æmulatæ nationes, nunquam abſque Sedis Apoſtolicæ Authoritate ſimilia attentarunt. Idem Senatus petat. Re inſpecta, ſi nobis videbitur, forſan non denegabimus. Quæ enim ad Eccleſias ſacratoſue viors pertinent, non Regii, ſed iuris ſunt Pontificii. *Harum diſſenſionum rumor non modò Italiam: ſed totam fere Europam peruaſerat. Cæſar* Pannonico *bello diſtentus pacem optabat, ne ſibi italorum ſubſidia deeſſent. Nutabant Hiſpani: alij ſperantes ex hiſce diſſidiis Regiam augendam potentiam. Diſplicebant aliis, ne optima pars* Italiæ, *quam poſſident Hiſpani, bello exorto in diſcrimen vocaretur. Galli ad bellum procliues, quorum arma pace tabeſcunt, bello flagrabant externo. Regi quaſſatam prouinciam, nouis tentare tumultibus diſplicebat. Venetiis interim nouus delectus Orator* Leonardus Donatus, *qui nouo obſe-*

quio

quio ſiſteret conſilia Pontificis. Cùm Natalis Seruatoris die, dum Senatores Grimano *ægrotante Principe conueniſſent, vt ſacro adeſſent ſolenni*, ecce Mattheus Legatus *binas afferens litteras hortatorias, ac comminatorias: non obtemperanti Senatui minatur grauiſſima. Reſponſum breuiter*: Mirari die tam ſolenni ac gaudii; propè inter Miſſarum ſolemnia, quibus cum Legatis Principum adeſſe debet Senatus, nuntium tam feralem attulerit. Opportunè lectis litteris reſponſurum Senatum. *Nocte inſequente moritur* Grimanus *Princeps. Litteræ Pontificis ne reſignarentur ante Ducis electionem, decretum. Grimani obitum Regum Oratores cum conſiliariis dolent: vnus* Mattheus *Nuntius Apoſtolicus ab eo abſtinuit officio. Eidem præceperat Pontifex, vt quadraginta Senatoribus, qui ex veteri inſtituto Principem eligunt, denuntiaret, quod excommunicati nullum poſſent in locum demortui ſufficere; quod vacante Collegio exequi haud potuit. Vnde* Leonardus Donatus *ſuffectus litteras* Pontificias *illicò legi curauit, quibus ad leges reuocandas excitabatur Senatus, vel anathema exſpectaret. Ad leniendum Pontificem* Petrus Duodus *Orator delegatus eſt*. Certatim *officio, meritorum de Eccleſia memoriâ, ſed conſtanter vrgente* Paulo *pro legum reuocatione, omnia incaſſum. Nutantem Cardinalis Aragonius confirmâſſe dicitur, ne à ſententia recederet*. Propterea *16. Cal. Maij obſeratis foribus grauiter de Republica conqueſtus* violata à Venetis Eccleſiæ iura, euerſam libertatem, ſpreta Pontificum Conciliorumque decreta, lata lege, iudiciis aduerſus bona, & per-

ſonas

ſonas Eccleſiaſticas: maturè omnia perpendiſſe, Theologos, Iuriſconſultos adhibuiſſe, Senatum ſępius monuiſſe, adhortationibus vſum, minis deterruiſſe, vt leges abrogaret, reos clericos remittet, petiiſſe; neque per ordinarium, neque per extraordinariorum Oratorem quidquam impetraſſe: ad remedia tandem iuris confugere decreuiſſe, anathema in Ducem ac Senatum intorquere, interdictum in Veneto Imperio, ni tempore pareant ſtatuto; promulgare ſtatuiſſe. Sententiam Cardinales & ipſi proferant ſuam. *In eius ſententiam conuenere omnes, Venetis*, Delphino *ſcilicet ac* Valerio, *exceptis Baronius, qui antea diſſentire videbatur, mutata ſententia, laudauit; & ad aſtra conſilium retulit. Promulgatur itaque, & in compitis vrbis affigitur. Summa erat*: Ni leges abrogentur, ni Clerici remittantur poſt elapſos viginti quatuor dies Venetos excommunicatos pronunciare: aliis tribus tranſactis, omne Imperium Venetum Eccleſiaſtico ſubdere interdicto. *Hactenus Palatius atque ante ipſum Maurocenus, Brietius, & alij.*

Cætera, quos interea motus iſtud diſſidium excitauerit, quibus tandem modis allaborante Hiſpano, annitente Gallo, maximè verò per huius Oratorem Cardinalem Franciſcum Ioieuſa, pax inter Paulum V. & Venetos redintegrata, Pontifici remiſſi Clerici, & à Sereniſſima Republica ſatisfactum ſit, longius foret referre, nec ad præſens inſtitutum pertinet. Sufficiat nobis, ex his actis cognouiſſe Decretum Amortizationis tanquam liber-

libertati eccleſiaſticæ aduerſum damnatum eſſe à Theologis & Iuriſconſultis Pontificiis, damnatum eſſe à ſacro Cardinalium Collegio, damnatum eſſe ab ipſo Chriſti Vicario Paulo V., & excommunicatione animaduerſum contra publicantem Senatum Venetum. Si ergò ſententia ſupremi Principis ius facit vniuerſale iuxta ſuperiùs dicta per tex. *in* §. *ſed & quod inſt. de iure nat. Gent. & Ciuili*, præſertim ſententia. poſt plenam informationem per legatos condemnatę partis habitam, poſt maturam deliberationem cum Theologis & Iuriſconſultis pręmiſſam, poſt inſtitutam conſultationem cum vniuerſo purpuratorum Collegio, à ſummo Pontifice lata, toti Orbi promulgata, facilè concludere potuiſſet pro iuſtitia, vel iniuſtitia amortizationis illuſtriſſimus Author, ſi ſeriem totius diſſidii huius voluiſſet, (vti debuiſſet) ſibi reddere bene cognitam.

V.

Seligant ex hoc proceſſu defenſores ſtatuti amortizationis aliquot conſectanea. I. nihil valere, quòd tale ſtatutum non ex odio in perſonas Eccleſiaſticas, ſed boni publici cauſa feratur: nam bonum publicum prætexebant Veneti, ab omni odio Eccleſiaſticorum alieni; nec tamen auditi ſunt. 2. Mihil valere in iis, quę repugnant libertati Eccleſiaſticę, diuturnum vſum, aut longo tempore aliter practicatum fuiſſe: nam etiam hoc obtendebant Veneti, nec propterea minùs; ſed magìs damnati ſunt. 3. Nihil valere, quòd Ec-
cleſiaſtici

cleſiaſtici ſtatus iam aliàs poſſideant multa immobilia: nam idem conqueſti ſunt Veneti; & nihilò minus reiecti: cùm, quibus DEVS, natura, aut legitimus Princeps, videlicet Pontifex, metam non poſuit, non debeat ponere Princeps, cui in Eccleſiaſticos non eſt iuriſdictio. 4. Nihil valere, quòd ſtatuto præcisè id agatur, ne poſſint Eccleſiaſtici poſt hac comparare bona immobilia inconſulto Principe, ſicque poſsint eo annuente: nam ita ſtatuerunt Veneti, & tamen habiti ſunt rei læſæ libertatis; quia nempe ſufficienter reſtringit hanc libertatem, qui cogit alienam ſpecialem licentiam emendicare, cùm iure communi antea poſſet liberrimè, ſine omni licentia ſpeciali. 5. Nil valere benemerita erga Eccleſiam obiici. Obiecerunt ampliſsima in ſedem Apoſtolicam, vna cum perenni inconcuſsa fide erga Pontifices Romanos Veneti. Et tamen excommunicati ſunt, Dominium totum interdicto Eccleſiaſtico ſubiectum. Quia nempe merita in Eccleſiam ſternere non debent viam ad demerita, & transgreſsiones. Iuuant merita ad promerendam Pontificis gratiam, vt ſingulari neceſsitate Reipublicæ perſpecta eiuſmodi decreta diſpenſatiuè admittat, non verò vt propriâ authoritate inuoletur in iura, & immunitatem Eccleſiarum.

Antequam claudam iſtum paragraphum, notare debeo, ab illuſtriſsimo Authore non ſatis fideliter citari Gailium *lib. 2. obſeru. 32. n. 5.* acſi abſolutè teſtaretur, in Germania receptum eſſe Decretum

cretum Amortizationis; cùm ille hoc tantummodo dicat de aliquibus Germaniæ locis. Verba Gaili *cit. n.* 5. ſunt: *Porrò in quibuſdam locis Germaniæ Statuta ſunt, quibus Clericis prohibetur emptio immobilium*, &c. an quidam Germaniæ loci, *tota Germania*, vel, *abſolutè Germania*? Profectò hic loquendi modus: *quidam loci Italiæ, quidam loci Galliæ, quidam Germaniæ, &c.* communi ſignificatione pauciora deſignat, plura vero loca ab eiusmodi qualitate excipit; vt adeò abſolutè cum veritate de Italia, Gallia, Germania, &c. dici non poſſit, quod de quibuſdam horum regnorum aſſeritur particularibus locis.

Notare debeo ſecundò, de Statu Mediolanenſi, quòd ſtatutum de non alienandis immobilibus in non ſubditos, teſte Maynardo *de priuileg. Eccleſ. contra Venetos p. 2. art.* 22. & Menoch. *lib. 9. conſil.* 878. *num.* 10. *in fine* Senatus Mediolanenſis ita conſueuerit ſeruare, vt clericos non comprendat. Concidit itaque teſtimoninm Signoroli, quando vnus teſtis à duobus contrarium aſſerentibus vincitur.

§. V.

Valor Decreti Amortizationis non eſt munitus authoritate Doctorum.

SVMMARIA.

I. *Quomodo authoritate DD. ſententiam affirmantem munire conetur Author, oſtenditur.*

II. *Nihil*

II. *Nil valet DD. authoritas, quando Apoſtolica eſt contraria.*

III. *Seculares exiguam faciunt authoritatem in cauſa immunitatis Eccleſiaſticæ.*

IV. *Requiſita, vt aliquis Doctor faciat ſententiam probabilem.*

V. *Hæc iu nullo Authorum ab aduerſariis citari ſolitorum reperiuntur.*

VI. *Quid de authoritate Ludouici Molinæ & Iacobi de Graffeis iudicandum.*

VII. *Cailius abſolutè tenet ſententiam noſtratem.*

I.

AGredimur tandem vltimo loco, quoniam ſic ordo doctrinæ, & dignitatis poſtulare videbatur, probabilitatis extrinſecæ primam arcem, quam ſequentibus ędificat, & munit illuſtriſſimus Author Diſcuſſionis problematicę. *Quod attinet ad Authores idem Petrus Peckius, qui negatiuam opinionem ſequitur d. c. 6. n. 1. & 2. fatetur, quòd ingens interpretum numerus in affirmatiuam conſpiret; ſi igitur duo vel tres Claſſici Authores ſententiam aliquam probabilem faciunt, quantò magis tantus numerus? nos tantùm aliquot in teſtes adducimus. Primus eſt Andreas Gail, vir maximè authoritatis, qui lib. 2. pract. obſeru. 32. num. 5? ſtatutum, quo prohibentur ſubditi alienare res immobiles in Eccleſiaſticas perſonas, non eſſe contra libertatem, pluribus deducit. Idem dicit Henricus Zœſius lib. 3. Decret. tit. 27. nnm. 9. Caſſenus in conſuetud. Burgund. rubr. 9. §. 10. num. 52.*

Ludo-

Ludouicus Molina de iuſt. & iur. tractat. 2. diſp. 140. num. 18. Et quamuis Diana tract. 2. reſolut. 58. miretur, quòd aliquis Ieſuita hanc ſententiam teneat, putamus tamen eius admirationem, non ex improbabilitate huius ſententiæ, ſed potiùs iocandi animo promanaſſe. Videantur etiam Iacobus de Graffeis l. 4. c. 18. n. 233. Olibanus tract. de iure fiſci c. 7. n. 31. Alciatus ad Auth. caſſa C. de SS. Eccleſijs. Faber ad legem quoties. Signorolus conſ. 21. & alij.

II.

Vno ictu arietis quaſſata tota hæc arx cum munimentis ſuis concidit, quandò dicimus pro mille authoribus ſtare authoritatem ſacri Collegii Cardinalium, ſtare ſententiam Summi Pontificis: hanc verò expertus eſt totus Orbis Chriſtianus contrariam Decreto Amortizationis in proceſſu contra Venetos ſub Paulo V. & in anathemate propter tale Decretum in eoſdem fulminato. Non curandi ergo ſunt Authores, quos aduerſarii pro ſe nominant, præſertim cùm plerique omnes, qui ab Illuſtriſſimo Authore atque aliis citantur, excepto Zœſio, ſcripſerint ante dictam ſententiam à Pontifice in Venetos latam, aliter procul dubio ſcripturi, ſi certi fuiſſent de ſententia Sedis Romanæ.

III.

Sed abſtrahendo ab hoc, licèt prorſus inſuperabili capite: Circa authoritatem ab Illuſtriſſimo Authore pro ſententia affirmante allegatam, & ab aliis ſequacibus allegari ſolitam, Notandum eſt 1. citari pro fautoribus meros Iuriſconſultos

ſæculares exceptis, Molina Societatis Ieſu, & Iacobo de Graffeis Clerico ſæculari. Sæculares autem non ſunt æqui immunitetis Eccleſiaſticæ arbitri. Hinc nullum videbis Theologum aut Canoniſtam, qui velit ſæcularium authoritatem in puncto immunitatis pondus habere, vtpote quod ipſis derogatur ipſomet Summi Pontificis oraculo *in cap. 3. de Eccleſiarum immunit. in 6.* cuius initium faciunt notatu digniſſima verba: *Clericis laicos infeſtos oppidò tradit antiquitas, quod & præſentium experimenta temporum manifeſtè declarant, dum ſuis finibus non contenti nituntur in vetitum, ad illicita fræna relaxant, nec prudenter attendunt, quàm ſit eis in Clericos Eccleſiaſticaſue perſonas & bona interdicta poteſtas &c.* Conſonant *Can. laicos* 5. *& laici* 14. *cauſ. 2. q. 7.*

IV.

Notandum 2. vt Author ſententiam faciat in moralibus probabilem, iuxta Suarez, Vaſquez, Thomam Sanchez, Azor, Villolabos, Henriquez, Valentiam, Caſtrapalao, Caramuelem, Eſparzã, Haunoldum & alios ferè innumeros in materia de conſcientia probabili, quos omnes ſecundùm articulum & numerum citare in re notiſſima meritò tædium generaret lectoribus, requiri multiplicem conditionem exprimendam duobus verbis, vt ſit *pius & peritus*. Nomine pietatis intelligi I. vt ſit vir verax & zeloſus, id eſt, deſiderans vt actiones humanæ ſint conformes legibus. 2. vt non aliàs plerumq; in rebus moralibus pro oſtendendo præ-

cisè

ciſè ingenio ac captanda gloria ſit paradoxus. 3 vt non affectu, aut commodo vel incommodo perturbante animum moueatur. Nomine peritiæ, ſeu doctrinæ intellige I. peritiam vniuerſalem principiorum ac deductionum moralium, 2. pertractationem materiæ, de qua agitur non merè perfunctoriam ſed exactam, tertiò ſi habeat ſententiam in materia necdum ventilata non relinquere eam debet improbatam; Si verò in materia ab aliis iam ventilata teneat ſententiam contrariam communi ſenſui, pro ſua ſingulari afferat rationem nouam, necdum ſolutam, maximè validam, ac quaſi conuincentem, vna ſimul & clarè atque ad fundum diluat oppoſita fundamenta.

V.

Quem nunc ex ſæcularibus Iuriſconſultis omnibus hiſce conditionibus inſtructum deſignatis? tranſmiſſis enim duabus primis conditionibus ex parte pietatis: circa tertium teſtem habemus omni exceptione maiorem Pontificem *in cit. cap.3.* videlicet Eccleſiaſticis oppidò infenſos eſſe ſæculares: hinc ſuo commodo & paſſione eos agi, quoties Clericorum cauſa agitur, concludit Pontifex, concludunt allegati Canones, quod equidem concludere, niſi hi concluſiſſent, nos nunquam præ reuerentia auſi fuiſſemus.

Quoad tres conditiones, comprehenſas nomine *peritiæ*: materiarum moralium & ſpiritualium, qualis eſt immunitatis, debita notitia communiter non ſunt inſtructi ſæculares: Vnde coguntur, ſi

Digitized by Google

aliter ſuæ conſcientiæ conſulere velint, in particularibus grauioribus negotiis, Theologorum conſilium exquirere. Præſens porro punctum plerique ex eiſdem merè perfunctoriè, incidenter, neutiquam exactè hinc inde trutinatis vtriuſque partis rationibus, pertractant, & quaſi rem exigui momenti, cùm ſit maximi, magis ſupponunt, quàm deducunt. Et quandoquidem tenent ſententiam communi ac receptæ Theologorum & Canoniſtarum, ad quorum forum & examen pertinet, aduerſantem, quas nouas, hactenus non ſolutas, & conuincentes rationes afferunt? præclare ſane! ſi Dii voluerint. Sunt nempe ponderoſiſsimæ iſtæ: *Licet Eccleſiæ præiudicare in acquirendo: lex boni publici intentione lata non violat libertatem Eccleſiaſticam: In quibuſdam prouincijs ita fieri reperitur: poteſt teſtator ac Dominus prohibere, ne res ſua alienetur in Eccleſiam*. Ex his tota lex pendet, & vis horum Prophetarum; quæ tamen aut ſunt in quæſtione, petunt principium, ſicque pro ratione non valent dari, aut millies oſtenſam & oſtendendam ſecum ferunt euidentem diſparitatem. Nam quid hic aliud quærimus, quàm vtrum libertati naturali Eccleſiarum, in acquirendo bona mobilia & immobilia quæcunque, à laicis reſtringendo præiudicari poſsit? nunquid ergò petitur, principium dando hoc ipſum pro ratione? quid hic aliud quærimus, quàm vtrum violet libertatem lex laica prohibens eccleſiis liberam emptionem: hæc autem hoc ipſo, quòd ponas eſſe legem, debet habere

pro

pro eſſentia, *ferri ex intentione boni publici*; vti ſupra oſtendimus? nunquid ergò petitur principium, hoc afferendo pro fundamento aſſertionis? Quòd in aliquot prouinciis vigeat ſtatutum amortizationis, factum eſt, vt audiſti ex ipſo Pontifice, cum authoritate S. Sedis, ſine qua proceditur merè de facto, non imitando. Inter Principem lege cauentem, & priuatum jure Dominii diſponentem, videbis latiſsimam diſparitatem capite ſequente, mox inhoando.

VI.

Quantum ad authoritatem Molinæ attinet, ſæpè miratus ſum, eum pro patrono contrariæ ſententiæ produci, cùm tamen, ſi benè eius dicta inſpexeris, præcisè referendo ponat, quid in regno Luſitaniæ fiat, & cur fiat, cœteroquin verò nec verbulo diſputet, an ſine Pontificia authoritate, ſola laica poteſtate tale ſtatutum iuſtè & validè condi poſsit nec ne? quod de præſenti eſt in quæſtione. Pro euidentiori rei veritate admetior totum *n.* 18. *tom.* 1. *tract.* 2. *diſp.* 140. qui vnicè citari ſolet: ſic habet: *Quia de iure huius Luſitaniæ regni l. 2. ordin. tit. 8. in princ. & §. 1. Neque Eccleſiæ, neque Monaſteria emere poſſunt bona aliqua immobilia abſque Regis facultate. Quod ſi vel ſucceſſione vel donatione aliqua illis aduenian, tenentur ea intra annum & diem alienare, niſi obtineant facultatem à Rege, vt illa ſibi retineant. Quod in feudo & emphyteuſi locum habet, cùm inter immobilia bona computentur. Id verò in hoc regno, & ordinariè in aliis, ſancitum eſt, ne paula-*

lim plùs iuſtò accreſcant, tum immobilia bona tum etiam reditus Eccleſiarum & Monaſteriorum in laicorum detrimentum: præſertim cùm pleraque monaſteria iure hæreditario quotidie loco ſuorum religioſorum ſuccedant in bonis defunctorum. Ita integer numerus decimus octauus: neque enim alibi vel verbulo meminit Molina huius controuerſiæ. Vides autem euidenter hunc authorem merè allegare ſtatutum Luſitaniæ & aliorum locorum, vnà cum ratione inductiua ad ſtatuendum: an verò conditum fuerit à Rege ſine vel cum Pontificis authoritate; vtrum à laicis ſine hac condi poſſit, nec ne? ne vnico quidem iota ab Authore diſputari: conſequenter in præſenti Statu quæſtionis prorſus immeritò vel pro, vel contra, allegari. De reliquo in ſpecie de Regno Luſitaniæ, objecto Pontifici à Venetis, hic repoſuit, ſimilia ſtatuta (ſuppoſito, quod narratiua Legati Veneti de latis ibidem iure eiuſmodi ſtatutis vera eſſent) non aliter lata eſſe poſſe, niſi ex conceſſione Romanæ Sedis. Teſtatur etiam Barboſa Luſitanus *in priuatis Scholiis ad l. filius-fam. ff. de legatis* 1. *verſ. ad ordinac.* Benedictus Ægidius, etiam Luſitanus *in l.*1. C. *de SS.Eccleſiis p.*5. *§.* 2. *n.* 12. Pereira & ipſe Luſitanus *de empt. c.* 8. *n.* 36. Iſtas ordinationes fuiſſe indultas in concordatis, erectis in Curia Romana inter Clerum Luſitaniæ, & eius Regem Dionyſium, circà cuius rei veritatem fidem horum Authorum oneramus.

Longè minùs authoritatem in iſto puncto præ-

Digitized by Google

ſtat Iacob de Graffis *in ſuis deciſ. par.1.lib.4. c.18. n.233.* tum quia quæſtionem duntaxat incidenter ſine vllo examine rationum in vtramque partem tractat, tum quia pro toto aſſertionis fundamento ponit decantatam, multoties ab Authoribus & nobis rejectam rationem intenti boni publici. Totum, quod de iſta controuerſia loc.cit. habet, conſiſtit in ſequentibus: *Si in ſtatuto cauetur, quòd nullus ſubditus poteſtati Mediolani poſſit alienare rem immobilem in non ſubditum, niſi ſoluat tantùm pro libra, expreſsè prohibendo, ne poſſit alienare in perſonam Eccleſiaſticam; dico, quòd tale ſtatutum eſt iuridicum & non improbandum, nec cenſendum contra libertatem Eccleſiæ, quia eſt conditum fauore publici & communis boni, & ſubditorum, vt eis ſalua immobilia, & territoria conſeruentur.*

VII.

Sed & Andreas Gaillius, de cuius authoritate ſibi adeò applaudit Illuſtriſsimus Author Diſcuſſionis, abſolutè noſtratis ſententiæ eſt, quam dicit etiam communem DD. Nam poſtquam *citat. obſeru. 32. n. 2.* dixiſſet, quòd ſtatutum fauorabile generale etiam pertinere debeat ad Clericos, atq; pro hoc ſuprema juris lumina, Bartol, Bald., Hippol., Anchoran. de Butrio Alexandr. Iaſon. &c. citauiſſet *num. 3.* ait, qnòd hi vbique dicant, *non valere ſtatutum diſponens res immobiles non poſſe alienari in Eccleſiaſticas perſonas: eò quòd huiuſmodi ſtatutum ſit contra priuilegium & libertatẽ Eccleſiæ text. in dicta auth. caſſa & in dict. c. nouerit cum ſimil. Et*

si ſtatutum simpliciter diſponeret, quòd res immobiles non poſſint alienari in forenſes, qualia ſtatuta multa ſunt paſſim in ciuitatibus Germaniæ, tale ſtatutum non comprehenderet Ecclesiaſticas perſonas, text. in d. cap. fin. de immunit. Eccleſ. quia ſtatutum non extenditur ad non ſubditos. Text. in cap. à nobis, de immunit. Eccleſ. Iaſon. in d. L. vt inter Diuinum. Bartholus in L. *dudum, n.* 1. C. *de contrahenda empt. & in* L. *filius fam. §. Diui n.* 11. *ff. de legatis* 1. *& ibidem communiter DD.*

Abſolutè itaque noſtram ſententiam tanquam communem, antiquis Iurisconſultis receptam, & jurium textibus omninò conformem tenet Gallius, neque audet *num.* 5. qui citatur ab Authore Diſcuſsionis, oppoſitam dicere probabilem & veram, ſed tantùm ait, quòd talia ſtatuta, ſi mens & intentio ſtatuentium conſideretur, non ſint *vſq; adeò exorbitantia*. Illud inſuper aduerto, iſtum authorem, quandò diſputationis, vt credo, gratia aliquas rationes (vtilitatis publicæ, & quod præiudicetur Clericis tantùm in acquirendo, quodue limitetur ſolùm poteſtas ſubditorum laicorum per ſimilia ſtatuta) in medium affert, ſemper ſupponere, quòd bona immobilia in Eccleſiaſticos alienata exeant à juriſdictione ſæcularium, quòd antiquis oneribus & impoſitionibus non ſubiaceant, vt euidenter conſtat ex *n.* 7. *&* 8. *cit. obſeru.* Cùm igitur hæc in patria noſtra non contingant, bonaue immobilia alienata in Eccleſiaſticos ſæculari juriſdictioni & prioribus oneribus maneant ſubie-

cta,

ſta, (quo tamen iure prorſus ignoro;) perſpicuum eſt, Gailium non fore fautorem pro ſtatuto amortizationis in Bauaria, licèt aliàs abſolutè teneret ſententiam affirmatiuam. De infirmitate rationum diſputationis cauſa à Gaillio allatarum nihil commemoro, vti etiam, quòd nullus ex authoribus contrariæ Sententiæ vnquam ſoluendo ſatisfecerit noſtris fundamentis ex vtroque jure, Bullæ Cœnæ &c. adductis: quin ferè omnes contenti, vnam alteramue ratiunculam ex reiectis produxiſſe, ne quidem officii ſui meminerunt, quod eſt, vt tenens opinionem communi DD. Theologorum & Canoniſtarum repugnantem, fundamentaliter diluat, & quaſi euidenter eneruet rationes ſententiæ communis ac receptæ. Quo ex defectu planè concidit eorum authoritas in præſenti puncto, nec conſtituit probabilitatem.

Sic ergo ſatis luculenter per 5. §§. derogatâ ſententiæ affirmatiuæ omni probabilitate extrinſeca, Scripturæ, SS. Patrum, Prouinciarum, Rotæ Romanę, Doctorum, luſtrare incipiamus probabilitatem intrinſecam.

CAPVT IV.

Soluuntur Argumenta contraria petita ex ratione, conſtituente probabilitatem intrinſecam.

EXiſtimabis forſan, amice Lector! hic nobis omnium maximè (quin manibus pedibuſque)

Digitized by Google

laborandum eſſe, vt vincamus. Sed ſincerè fatemur, nullibi minùs, quàm hic nobis negotium faceſſere Illuſtriſsimum Diſcuſsionis Authorem: Adeò enim debilia ſunt omnia nouem, quę affert argumenta, vt mirari ſatis non poſſimus, viſa fuiſſe tanto viro efficacia, & conuincentia. Quapropter eorundem ſolutio nec nos fatigabit, nec diu detinebit: duobus non admodum amplis §§. eam abſoluemus cum ſpe manifeſtę victoriæ.

§. I.

Soluitur primum Argumentum ex ratione, conſtans definitione immunitatis Eccleſiaſticæ.

SVMMARIA.

I. Definitio immunitatis, ex qua videtur Author ſibi cudere efficaciſſimum argumentum.
II. Hanc deſumpſit ex Gothofredo authore Lutherano.
III. Falsò prò iſta definitione citatur Diana & Molina.
IV. Reiicitur ex ſequela abſurdiſſima.
V. Immunitas principaliter conſiſtit in omnimoda Eccleſiaſticorum exemptione à Iuriſdict. ſæculariū.
VI. Vnde conſectaneum, leges reſtringentes libertatem Eccleſiaſticorum, eſſe inualidas.

ILluſtriſſimus Author Diſcuſſionis (immerito aſſertæ) problematicæ auſpicatur probabilitatem

tem intrinſecam Sententię ſuſtinentis legem Amortizationis ab ipſa eſſentia & quidditate immunitatis Eccleſiaſticæ; dicendo: *Prima igitur ratio noſtra eſt iſta, quòd ſtatutum, quo ſubditis prohibetur alienatio immobilium in Eccleſiaſticos, omninò non ſit contra Eccleſiaſticam libertatem; quod ſic probamus. Immunitas Eccleſiaſtica conſiſtit in duobus capitibus; prima pars eſt, vt perſonæ & res Eccleſiaſticæ ſint ab omnibus impoſitionibus & oneribus ſæcularium tam realibus, quàm perſonalibus liberæ & immunes, & vt Eccleſiæ, & Cæmeteria confugientibus illuc præſtent aſylum, quæ dicitur immunitas localis; altera pars ſpectat ad judicium, ne ſcilicet perſonæ Eccleſiaſticę ad tribunal ſęculare trahantur, & in his duobus capitibus conſiſtit tota latitudo Eccleſiaſticę immunitatis; ita pulchrè* Gothofredus. *Tenentur itaque Clerici ad omnia alia, quę cum prędicta libertate non pugnant, ſcilicet, quę nec ad gabellas, nec ad ſeruitia perſonalia, nec ad ſęculare forum Eccleſiaſticos trahunt. Videatur* Molina *tom.2. tract.2. diſp.13.num.15.* Diana *par.1.tract.2. reſol.8. Audiamus igitur nunc argumentum. Immunitas* Eccleſiaſtica *in hoc coſiſtit, vt* Eccleſiaſtici *liberi ſint à gabellis & impoſitionibus* Principum, *ab oneribus & ſeruitijs perſonalibus & realibus, à foro & tribunalibus ſæcularibus, & vt confugientes ad* Eccleſias *ab extractione ſęcularium iudicum immunes ſint: ſed ſtatuta, & conſtitutiones & conſuetudines, quibus ſubditis prohibetur alienatio immobilium in* Eccleſiaſticos, *nec cogunt eos ad gabellas, tallias aut alia onera, nec imponunt ſèruitium perſonale, nec trahunt ad forum ſęculare,*

Digitized by Google

lare, nec Eccleſiarum *Aſylum violant. Ergò non pugnaut cum* Eccleſię *libertate; quod argumentum videtur efficaciſſimum.*

II.

Dicamus nos, hoc argumentum eſſe inaniſſimum: apparebit, ſi euiſceremus. Primò igitur huius argumenti vnica & tota baſis eſt allata eſſentia & quidditas immunitatis Eccleſiaſticę: Illam verò, vt ſolida eſſet, debuit fundare Gothofredus Author Acatholicus, Lutheranus; qui more gentis ſicut oſor eſt hierarchiæ, ita etiam libertatis Eccleſiaſticæ. Scilicet! efficaciſsimum argumentum ad cohoneſtandam legem Amortizationis peti debuit ex quinto Lutheri Euangelio, quod qui ſequuntur Principes ſæculares, non tantùm omnem Iuriſdictionem in ſæculares, ſed etiam in Paſtores ac Prædicantes, quos volunt ſuos Eccleſiaſticos, liberè exercent, imò verò Eccleſiaſtica (ſi ſuperis placet) poteſtate inſtruunt, inſtituunt, deſtituunt, articulos morum & fidei, quin totius Miniſterii obeundi regulas præſcribunt, conſequenter miſero paſtoritio gregi, quantum placet, immunitatis & exemptionis concedunt. Annihilatur penitùs immunitas Eccleſiaſtica, ſi ad pedem DD. Lutheranorum eandem dimetiamur.

III.

Dum Illuſtriſsimus Author Gothofredo ſuo Socios iungit Dianam *p. 2. tract. 2. reſol. 8. ac* Molinam *tom. 2. tract. 2. diſp. 13. n. 15.* quaſi inclyti hi Theologi in eandem quidditatem immunitatis & liber-

tatis coirent, planè ſincera fide non procedit: Nam Diana *cit. reſol.* ne verbulo quidem hoc attingit, vt inſpiciendum do recitando integram de verbo ad verbum reſolutionem.

An ſæculares Magiſtratus poſſint cogere Clericos, vt triticum vendant, ſi neceſſitas adſit?

Reſol. VIII.

Affirmatiuè reſpondent Iuriſconſulti, & quod magis miror ex Theologis Ortiz *in Summa. cap. 4. num. 9.* & Ioannes Salas *in tract. de empt. & vendit. dub. 9. num. 2:* vbi in fine aſſerit, quòd non oportet in tali caſu recurrere ad judices Eccleſiaſticos: vide etiam Valerium *in differentiis vtriuſq; fori. verb. Clericus differ. 3. n. 3.*

Sed contrariam Sententiam amplectendam eſſe prorſus iudico, *ex c. non minus, & cap. aduerſus de immun.* Eccleſ. *c. quanquã de cenſibus in 6. & ex Bulla Cœnæ can.* 12. Ideò in tali caſu puto recurrendum eſſe ad Super. Eccleſiaſt., niſi fames, aut neceſſitas vrgeant, & periculum ſit in mora; nam in tali caſu judex laicus poterit frumentum ſequeſtrare, & ab horreis Clericorum extrahere, & vendere, non vi juriſdictionis, ſed ob inſtans periculum de facto iuris. Vnde non eſt audiendus Ioan. de Heuia *in Curia* Philippica. *p.* 3. *§.* 3. *num.* 10. & Bobadilla *in polit. tom. 2. lib. 3. c. 3. nu.* 13. vbi ſi aſſerit: *Ex eſtas occasiones hize ſacar el trigo ſobrado no ſolo de caſa de*

ſegla-

ſeglares, pero de canonigos y Clericos ricos, ÿ aux de las Iglesias, ÿ de los Ofbisbos, que lo grangean ÿ vendex à precios ÿ per modos injuſtos, como quiera que puedem los Ecclesiaſticos ſer compelidos à vender el trigo que los ſobra para la prouision de republica.

At fallitur hic Author, nam licet Clerici ita facientes peccent juri Naturali contrauenientes, quia tamen ad ſupradicta non tenentur vi coactiua, ſed directiua, ideò per miniſtros Eccleſiaſticos, & non laicos ad id faciendum compellendi ſunt; quia ſæculares nullam poteſtatem habent in Clericos, neque publica neceſſitas, ſeu vtilitas *NB.* juriſdictionem illis prębet, & ideo tempore penuriæ non poſſunt per illos compelli vendere frumenta, & alia ad victum neceſſaria, & ad non excedendum pretium legale dictarum rerum venalium, ſed ad id compellendi ſunt per judices Eccleſiaſticos, niſi in caſu de quo ſupra. Vide duardum *in Bulla Cœnæ lib. 2. can. 15. quæſt. 17. n 45.* Belletum *in diſquiſ. Cler. p. 1. tit. 5. §. 2. n. 9.* Madium *tract. de ſacris ordinibus cap. 14. num. 38.* & ex noſtris P. Molfeſium *in ſumma tom 2. tract. 12. c. 5. num. 85. qui impugnat Salas vbi ſupra, & aliàs.*

Sic de littera ad litteram habet, ſic definit reſolutio octaua. Molina tomum ſecundum, tractatum ſecundum, in editione Moguntina de anno 1659. orditur à diſputatione 252. Doceamur ergò vbi reperire debeamus *tom. 2. tract. 2.* diſputationem decimam tertiam, huiuſque numerum 15. Reperiemus nullibi. Iam iudica de ſincera fide.

Tertiò

Digitized by Google

IV.

Tertiò ſi hæc eſt tota quidditas, & eſſentia immunitatis, videlicet *præſtari tutum refugium reis in Eccleſiis & cæmeteriis, perſonas & res Eccleſiarum ab oneribus perſonalibus & exactionibus immunes eſſe, item Eccleſiaſticos non trahi ad tribunal ſeculare*: tunc euidenter ſequitur laicos Principes in quacunque demum materia, modò non imponant exactiones & onera, modò non trahant Eccleſiaſticos ad ſæculare tribunal; item modò non iubeant extrahi ex immunitate, poſſe non tantùm indirectè, ſed etiam directè diſponere, ordinare, ſtatuere circa perſonas ac res Eccleſiaſticas abſque vlla contrauenientia & læſione immunitatis Eccleſiaſticæ. Conſequens eſt euidenter falſum per text. apertum *in cap. Eccleſia S. Mariæ, &c.* vbi rejiciuntur omnia ſtatuta ſæcularium circa Eccleſias & Eccleſiaſticos, licèt etiam eorum fauorem contineant: ergò & antecedens. Sanè ſequeretur, poſſe Principem laicum leges ferre Eccleſiaſticis de electionibus, inſtitutionibus, deſtitutionibus, de ipſa Clericorum vita & moribus, &c. quin infringat libertatem Eccleſiaſticam, cùm de his ſtatuendo nec onera Eccleſiaſticis imponat, nec ad ſæculare iudicium trahat, nec extrahat ex immunitate, in quibus ſolis adæquata ratio libertatis iuxta heteroclytam hanc definitionem conſiſtit.

V.

Satiùs itaque fuiſſet, relicto Gothofredo Lutherano, cum Theologis & Canoniſtis vniuerſim

ad

ad cit. cap. Eccleſia S. *Mariæ* 10. *ext. de conſtitut.* item *ad tit. de foro competenti, & de immunit. Eccleſ.* dicere, immunitatem Eccleſiaſticam principaliter conſiſtere in omnimoda exemptione à iuriſdictione laicorum, directè vel indirectè in eos exercenda. Vide quæ diximus Cap. I.

VI.

Atque hinc ſtatim concluſiſſet Author: Ergò nulla lex laicorum, etiam in bonum Eccleſiarum & Eccleſiaſticorum lata, de iis propria authoritate diſponens eſt valida, argum. *cit. cap.* 10. *extr. de conſtitutionibus*, cùm legis fundamentum ſit iuriſdictio in illum, cui fertur, & lex extendi non poſſit ad non ſubditos; vti ex Bartolo, Baldo, Iaſone &c. argumentatur Gaillius *lib.* 2. *obſeru.* 32. *n.* 2. Statim concluſiſſet: ergò longè minùs valida eſt lex directè vel indirectè præiudicans Eccleſiaſticis, eorundem libertatem, quocunque tandem modo, tollens, lædens, deprimens, reſtringens. Bulla Cœnæ *excom.* 15. Ex hiſce verò duabus concluſionibus eudens eidem fuiſſet tertia, de qua controuertimus: nempe; ergò valida non eſt lex amortizationis lata à laicis, vtpote ſaltem indirectè præiudicans Eccleſiaſticis, lędens, deprimens, reſtringens eorundem in emendo libertatem, iure naturali & gentium eiſdem conceſſam.

Quæ argumento adduntur; videlicet ex Caietano & Nauarro, quaſi prohibitio emendi potiùs eſſet contra ſocietatem humanam, quàm contra Eccleſiaſticam libertatem, ſufficienter reiecimus

cap. 2.

cap.2. §.2.n.3. & manifeſtè repugnat textui *cap. fin. de immun. Eccl. in 6. cùm talia in derogationem libertatis Eccleſiaſticæ præſumantur.* quæ item adduntur ex Gloſſa *in cit. cap. fin.* quaſi cap. finale præcisè loqueretur in caſu, quo ex odio ſimilia ſtatuta emanant, iam abunde confutauimus cit. cap. 2. §. 1. per totum.

§. II.

Soluuntur reliqua octo argumenta ex ratione perita.

SVMMARIA.

I. Soluitur 2. argumentum.
II. Soluitur 3. argumentum.
III. Soluitur 4. 7. 8. & 9. argumentum.
IV. Soluitur argumentum 5.
V. Soluitur argumentum 6.

I.

PRimo, & prout ab Illuſtriſſimo Authore iactatur, efficaciſſimo argumento ex ratione ad fundum vſque ſoluto, leuiore longè brachio diſſoluemus octo reliqua.

Secundum ita ſonat: *Poteſt Princeps rebus immobilibus ſubditorum leges præſcribere quaſcunq; vult.* DD. *ad leg. an in totum* & ibi Cuiacius *C. de ædificijs priuatis.*

Argumentum totum diſtinctione tollitur: Po-

teſt Priceps rebus ſubditorum leges præſcribere, quaſcunque vult; modò nec directè, nec indirectè præiudicet Eccleſiaſticorum libertati. *conc. ant.* Si vero præiudicet, vti ſanè ex dictis luculentum eſt præiudicare, quando ſubditis prohibet, bona ſua immobilia Clericis vendere. *Neg. ant.* & quidquid inde ſequitur. Diſtinctionem hanc non tantùm communiter ponunt Canoniſtæ *in ſæpe cit. cap. Eccleſia S. Mariæ ext. de conſtit. poſt Panormitanum.* Sed teſte Gaillio *lib.* 2. *obſeru.*32. *n.*1. *&* 2. etiam Ciuiliſtæ. Hinc ipſemet cum Bartolo, Cyno & DD. communi concludit; non præiudicaturum ſtatutum perſonis Eccleſiaſticis, ſi Princeps rebus ſubditorum ſuorum ferret legem, vt præſcriberentur immobilia intra triennium; ſicque iudicatum fuiſſe, ait, in Camera Spirenſi in cauſa Annæ Igenmanin contra S. Niclanſen Gottshauſſ tu ober Bibingen Anno 1568. idq; per regulã, quod ſtatuta laicorum non ligent Clericos, cùm ſint contra libertatem Eccleſiaſticam,

II.

Tertium argumentum: *Poteſt conſuetudo res aliquas commercio humano eximere. l.* 34. §. *Omnium rerum ff. de contrah. empt.*

Non video, quid hoc argumento probare intendat Illuſtriſſimus Authot. Vel enim loquitur de conſuetudine promiſcua, Clericis & laicis communi, ſtatui ac libertati Eccleſiaſticæ non repugnante, nec eam diminuente? Et tum idem de tali conſuetudine ſentiendum, quod dicturi ſumus argu-

men-

Digitized by Google

mentum 5. de legibus ciuilibus promiſcuis, cùm conſuetudo idem ac lex operetur, ac pro lege ſuſcipiatur, vbi non eſt lex. *l. de quibus* 32. *ff. de legibus*, *Senat.* Eiuſmodi conſuetudo iuxta Gloſſam ad *d.* §. *Omnium rerum. in verb. Mores.* poterit eſſe, & eſt, vt res Vniuerſitatis, ac publico vſui deſtinatæ, v.g. communia paſcua, prata, nemora &c. ſeruientia æque Clericis ac laicis de communitate ſint prorſus extra commercium humanum; quia ſunt in nullius priuati dominio §.*Vniuerſitatis. Inſt. de rer. diuiſ.* Vel loquitur de conſuetudine non promiſcua, non communi Clericis & laicis, quæ faueret laicis, noceret Clericis, quæ non ſimpliciter res eximeret à commercio humano, ſed tantùm reſpectiuè, vt ſcilicet liceret emere laicis, non Eccleſiaſticis &c.? Et tunc dicimus, talem conſuetudinem non minus inualidam eſſe, ac expreſſam legem prohibitoriam; non obſtante, quòd fortè immemorialis ſit: quia ne immemorialis quidem vſus obtinet contra immunitatem Eccleſiaſticam, obſtante continua damnatione Eccleſiæ, vt dictum; & videre eſt deſuper ingentes DD. catalogos citatos apud Dianam I. *par. tract.* 2: *reſol.*4. Barboſam *in cap. Eccleſ. S. Mariæ ext. de conſt.* & alios.

Deinde, quid ad rem hic loqui de conſuetudine, cùm notorium ſit, & fateatur Illuſtriſſimus Author, hactenus cuiuis in patria noſtra liberum fuiſſe, cuicunque ſiue Eccleſiæ, ſiue laico, ſua bona vendendi.

Quartum argumentum. *Poſſunt priuati cauere paciſcendo, ne bona ſua alienentur in Eccleſiaſticos*, Gloſſa & DD. *in l. fin. C. de iure emphyteut.* Gloſſa Abbas & alii Canoniſtæ *in cap. potuit ext. de locato. cur igitur hoc non multò magis fieri poteſt, per legem publicam, aut ſtatutum Principis?* Bartolus *in l. alia. §. eleganter. n. 12. ff. ſoluto matrim.* Iaſon *in l. non impoſſibile n. 1. & 7. ff. de pactis.* Quæ apponuntur ex Baldo: nempe; *Eccleſiæ præiudicari poſſe in acquirendo &c.* Nolumus vt fatigent noſtrum calamum, quoniam ad nauſeam vſque ſæpiùs repetita & confixa ſunt.

Iungimus argumentum 7. prorſus ſimile huic, & eadem ſolutione diluendum: quilibet teſtator poteſt repellere hæredem à ſua hæreditate, ſi in Monaſterium ingrediatur & Monachus fiat, ad hunc finem, vt bona conſeruentur in familia. Couarruu. & alibi ab eo citati *var. reſol. l. 1. c. 19. n. 8.* & Cardin. Mantica *de coniecturis vltim. voluntatum l. 11. tit. 7. n. 18. Ergò multò magis Princeps vel publicus Magiſtratus poterit per legem vel ſtatutum idem decernere de bonis immobilibus ſitis in ſuo territorio, & prohibere, ne alienari poſſint in Eccleſiam vel Monaſterium: ſiquidem id quilibet priuatus poteſt in re particulari.*

Tritiſſima eſt hæc cantilena; & contra eam tritiſſima pariter Theologorum & Canoniſtarum reſponſio, quæ vltrò concedit vtriuſque obiectionis *antec.* negat verò *conſequentiam & paritatem.* Quoniam priuati de rebus ſuis diſponunt iure dominii & proprietatis: quilibet autem rei ſuæ moderator

& ar-

& arbiter eſt. L. *in re, Cod. mandati;* vt adeò, ſicut re ſua pro arbitratu vi dominij vti & abuti, eamque deſtruere omninò poſſunt & abiicere, ita pariter poterunt legem dare, quæ placuerit, & bonis moribus non repugnat. Atqui bonis moribus non repugnat, velle aliquem conſeruari per bona ſua familia ſuam, & ſic non tranſire ad Monaſterium vel Eccleſiam. Ergò ſic ſtatuere poſſunt.

E contra verò Princeps vel Magiſtratus ſæcularis non habet dominium & proprietatem rerum pertinentium ad priuatos, vt habet certa & communis ſententia DD. poſt Felinum *in cap. quæ in Eccleſiarum 7. n. 26. 27. & 33.* Abbatem *ibid. n. 10. & 11. ext. de conſtitut.* Conſequenter quod diſponunt, neceſſariò diſponunt iure iuriſdictionis, quæ nequit extendi ſiue directè, ſiue indirectè ad non ſubiectos, quales ſunt Eccleſiaſtici, aut extendendo præiudicare libertati ſiuè à iure naturali, ſiue gentium, ſiue aliunde quæſitæ.

Idem iudicium, teſte Barboſa *in Collect. DD. ad cap. 10. ext. de conſtit. n. 30.* ac aliis Theologis & Canoniſtis vniuerſim, eſto de emphyteuſi & feudo, nam quia Dominus, qui rem concedit in emphyteuſim vel feudum, concedendo diſponit vi & iure dominii ſui pleni, quod habet in re, ideò eidem liberrimum eſt concedere emphyteutę vel vaſallo dominium vtile ſub quocunque demùm modo, v. g. vt nunquam alienetur in potentiorem, non alienetur in Collegium immortale, non alienetur in Eccleſiaſticos &c. ne videlicet per talem alienationem

reddatur ſibi inutile dominium directum præciſa omni ſpe conſolidationis cum dominio vtili, præciſa omni ſpe laudemii; ne debeat carere ſeruitiis perſonalibus; quæ præſtaret perſona non Eccleſiaſtica &c. Et hinc etiam ſolutum eſt argumentum octauum & nonum. Cuius in octauo argumento meminit, quaſi bona nobilia in Bauaria etiam allodialia, ſint affecta onere ſeruitiorum perſonalium, atque ex hoc capite æquè parùm ac feudalium ſint capaces Eccleſiaſtici, gratis aſſerit Author; & hinc meritò à nobis ſuprà fuit negatum: neque vnquam tale onus fatebitur libera Nobilitas. Certè, ſi tali onere ſeruitiorum perſonalium grauata ſunt bona nobilia, & Hoffmarchiæ, mirum eſt, quòd hucuſque tanto iure Electorali neglecto permiſſa fuerint manibus Eccleſiaſticis; quòd nunquam hæc onera ſaltem per alium ac ſubſtitutum ſibi præſtari, exegerint Sereniſſimi Duces; quòd pro defectu ſeruitiorvm ab Eccleſiaſticis emptoribus non petierint cõpenſam. Cùm itaque vna ex parte certum ſit, non facilè iura tanti momenti iactari & negligi, ex altera vero parte non minùs certum ſit; nullam hoc in puncto vnquam motã controuerſiam eſſe, manifeſtè conuincitur, merè confictum eſſe hoc onus reale.

IV.

Pro 5. argumento ponit Illuſtriſſimus Author: *Licitiſſimum eſt ſtatutum, ne cuiuſuis generis merces exportentur è prouincia, vel inferantur, & ſicut talis conſtitutio non eſt contra immunitatem & libertatem Eccleſiaſticam, & etiam Clericos externos concludit, qui tamen*

Prin.

Principi terræ minùs ſubiecti ſunt, quàm Clerici ſuæ Prouinciæ, qui tanquam pars Reipublicæ eiuſmodi conſtitutionibus, ſi non vi coactiua ſaltem directiua, ſubiecti ſunt, ita nec noſtrum ſtatutum contrarium eſſe poteſt.

Pro ſolutione argumenti pono communem ſententiam Canoniſtarum & Theologorum. Suarez. *l.3.de legib. c.24. n.6.* Dianam *par.1. tract.2. reſol.7.* Laym. *lib.1. tract.4. c. 13. in princ.* Sayrum *in Claui Regia lib.4. c.4.* quòd videlicet leges ſiue conſtitutiones ciuiles, quæ non repugnant Sacris Canonibus, & Statum Clericalem non dedecent, ſed ob publicam vtilitatem Reipublicæ, eiuſque bonam gubernationem latæ ſunt circa materiam communem Clericis cum aliis ciuibus, & quæ ęque ab omnibus ſeruari poſſunt ſine vllo iniuſto grauamine Clericorum, ſeruandę ſint etiam à Clericis aliiſque perſonis Eccleſiaſticis, illaſque obligent quoad vim directiuam: non autem quoad vim coactiuam, ſiue reatum & obligationem ad pœnam. Sumitur ex *cap.I. c.8. & ſeqq. diſtinct.10. cap. cùm ad verum 6. diſt.96. & cap.I. de noui operis nunciat.* Abbas *in cap. Eccleſia ext. de conſtitut. n.13. & in repetit. eiuſdem n.17.* Ratio eſt, tum quia Clerici ſunt aliquo modo membra Reipublicæ, adeoq; ęquum eſt, vt ſe conforment cęteris in iis, quę ad publicam gubernationem neceſſaria ſunt, alioquin magna perturbatio ſequeretur, & communis pax & quies inter ciues difficile ſeruari poſſet, ſi eiuſmodi legibus non obligarentur. Tum quia, cùm Clerici fruantur cõmunibus Reipublicę commodis ac priuilegiis, par

eſt, vt etiam comuunia cum aliis onera, à quibus ſpecialiter non ſunt exempti, & obligationes Legum ſubeant, quæ ipſorum ſtatui ac libertati non repugnant. Tales ſunt leges, quę pręſcribunt certã formam, in contractibus aut teſtamentis celebrandis vel condendis ſeruandam: quę taxant pretia rerum, frumenti, annonæ, &c. quę conſtituunt & imponunt valorem Monetę, illumque augent vel minuunt, quę prohibent incedere cum armis noctu, aut ſine lumine, deferre certum genus armorum: quę prohibent exportare frumentum vel alias merces extra ciuitatem, regnum vel prouinciam, & ſimiles, quę ſtatui Eccleſiaſtico non repugnant. Sotus *lib.*I. *de juſtitia q.*6. *art.*7. Nauarrus *in Man. c.*23.*n.*88.Bannez 2.2.*q.*67.*dub.*2.Sayrus *loc.c.n.*17.

Hoc poſito nota bene phraſin communem huius doctrinę apud Theologos & Canoniſtas receptę; quòd ſcilicet illis legibus ciuilibus obligentur Clerici, quę continent materiam communem laicis & Clericis, ſeu vt declarat Laymann. *loc. cit. n.*2. quę ad totam cõmunitatem feruntur boni publici cauſa, hoc eſt, quę promiſcuè omnem ſtatum de cõmunitate tangit, quod etiam inſinuat Illuſtriſſimus Author Diſcuſſionis, dum in ſpeciali commendatione cautelæ in ſtatuto Bauarico de Anno 1672. adhibitæ ait, ad ſtatutum mixtum ex cõmuni DD. conſenſu etiam perſonas Eccleſiaſticas obligari, Caſſaneus *rub.*9.*n.*53. Mixtum autem eſt ſtatutum, quod ſine diſcrimine tangit omnes cuiuſcumque ſtatus ſubditos. DD. communiter. Quia Clerici

non

non non debent eſſe deterioris conditionis cæteris ſtatibus reipublicę, vt aliquoties dictum & probatum. Sic nemo dixerit ligare Clericos ſtatutum, decernens commune pretium frumenti decem florenos, vt tamen Nobiles, & patritii poſſint cariùs vendere.

2. Nota bene phraſin: quæ ſeruari poſſint ſine grauamine Clericorum, vt videlicet nec ſtatum dedeceant, vti v.g. operæ publicæ &c. nec ſpecialiter ſiue directè, ſiue indirectè præ laicis Clericos grauent, nec eorum libertatem præ laicorum, reſtringant. Non enim ſufficit, vt ſibi imaginatur in cit. commentatione ſtatuti Bauarici Illuſtriſſimus Author, ſtatutum mixtum eſſe, ſeu tangere promiſcuè plures, aut omnes de republica, niſi etiam ſit alienum à grauamine Clericorum, à diminutione, reſtrictione aut depreſſione libertatis Eccleſiaſticæ, oportet ergò eſſe mixtum, & ſimul non odioſum, vt conſtat ex dictis.

Quibus notatis facilè deprehendes, quare lex Amortizationis repugnet immunitati, non item lex de non euehendis mercibus. Nam 1. lex Amortizationis non omnem ſtatum de communitate tangeret, cùm licitum foret emere bona nobilia (ſi maneamus intra terminos noſtræ conſtitutionis Bauaricæ de non alienandis bonis nobilibus in manus non priuilegiatas) perſonis nobilibus, non item Eccleſiaſticis. Si verò ſumamus legem Amortizationis ſecundum omnem amplitudinem, ne vlla bona immobilia ampliùs vendantur Eccleſiis,

non

non tangeret vllos ſeculares, ſed tantùm Eccleſiaſticos, conſequenter non foret lex communis, non contineret materiam communem; ideoque nec iuſta eſſe, nec pertinere ad Eccleſiaſticos poteſt. E contra verè lex de non euehendis mercibus ponitur communis, omnes promiſcuè obligans: nec contra eam regulariter Clerus conqueri habet, niſi fortè de præciſo maiori pretio de mercibus euectis accipiendo, quod magis ſapit indecentem Clerico negotiationem, quàm iuſtum grauamen. Vides igitur Amice Lector! quare vna lex non altera repugnet immunitati.

Secundò lex Amortizationis grauat ſpecialiter Eccleſiaſticos priuando illo, Naturali & Gentium libertate emendis relicta ea penes ſolos Nobiles, aut ſæculares, excluſis Clericis. Hoc non facit lex de euendis frumentis. Conclude itaque legem hanc poſteriorem immunitatem non lædere; lædere tamen legem Amortizationis.

V.

Supereſt tandem vnicum adhuc argumentum ex illis, quæ deberent facere intrinſecam probabilitatem; Sextum numero; ſcilicet: *Alienatio rei dotalis probibita ſtatuto aut lege Ciuili extendit ſe etiam ad Clericos, cùm hoc ſtatuto mulier inhabilitetur ad alienandum; vnde ne quidem naturalis obligatio oritur. L. non dubium. §. nullum C. de Legibus Panormit. ad cap. cum Clericis n. 26. n. 30. & ſeqq. ext. de foro competenti. Si igitur hoc fit fauore mulierum, vt illis dotes ſuæ conſeruentur, quare non*

fauore

fauore boni publici prohibitio fieri poſſit?

Oſtendamus inanem fucum, quem hoc argumentum primò intuentibus facit ex primis principiis. Dos enim vel conſiſtit in rebus fungibilibus v. g. pecunia, vino, frumento, oleo, &c. Et tunc pleno iure per traditionem fit ipſius Mariti per textum apertum *in* L. 42. *ff. de iure Dotium*: quomodò autem tunc vxor dotem alienabit cum effectu translationis dominii ſiue in Clericum ſiue ſæcularem, cùm ipſa eiuſdem non ſit domina; & per notiſſimam iuris regulam, *nemo plus iuris in alterum trasferre poſſit, quàm ipſe habeat?*

Vel conſiſtit Dos in rebus non fungibilibus, traditis tamen æſtimatò, æſtimatione faciente venditionem, & tunc iterum maritus plenum eiuſdem dominium conſequitur, & ſolùm tenetur ad pretium ſoluto matrimonio reſtituendum *L.* 5. *&* 10. *C. de iure Dotium.* Iterùm ergò incapax eſt mulier cum effectu tranſlationis Dominii alienandi dotem ſiue in Clericum, ſiue ſæcularem.

Vel tandem conſiſtit in non fungibilibus traditis inæſtimatò, aut æſtimatò quidem, ſed æſtimatione non faciente venditionem. Et tunc Dominium ciuile, dans rei vindicationem & facultatem fruendi, eſt penes maritum; ſolo Dominio naturali, interea quaſi emortuo, remanente penes vxorem. *Inſtit. quibus alienare licet, &c. in princ.* L. *doce Ancillam. C. de rei vindic.* Conſequenter neque huic iuri maritali alienando poteſt præiudicare vxor, cùm alteri per alterum non debeat iniqua conditio inferri.

Quid

Quid verò ex hinc ſequitur? audiamus. Mulier ſtante matrimonio nam finito matrimonio rem dotalem ad ſe pleno iure redeuntem nullo iure prohibetur alienare rem dotalem in præiudicium mariti, qui eius vel eſt abſolutus vel ſaltem Dominus ciuilis & fructuarius, quandoquidem nemo rem validè alienat, aut licitè, qui eius non eſt Dominus, aut alienando præiudicat iuri quæſito tertii, ergò neque Clericis licebit vendere vxori.

Reſpondemus concedendo totum: Siquidem Clerici non minùs quàm alii iure naturali obligantur: iſtud verò vetat acquirere & diteſcere cum alterius iniuria. Sed quid hoc ad præſens inſtitutum facit? Neque enim ſacri Canones aut Pontifex reſiſtunt extenſioni prohibitionis huius ad Clericos, ne emant, quod aliàs ſine grauiſſima iniuſtitia emere non poſſent, cùm materiam peccati non foueant. Si mauis, poteris adhuc clariùs dicere. Poſitis legibus ciuilibus, quòd maritus in dòte acquirat vel ius Dominii pleni, vel ſaltem ciuilis, non improbatis, ſed maximè probatis à ſacris Canonibus, ſummoperè fauentibus doti, tanquam rei pertinenti ad matrimonium, *cap. per veſtras 7. de donat. inter vir. & vxor. cap. nuper. 6. eodem, &c.* ius naturale arcet Clericos ab emptione dotis cum præiudicio Dominii, aut iuris marito quæſiti.

Ex quo patet argumentum, vt vt appareat prima fronte ſplendidum, prorſus huc non quadrare: Nos quippe verſamur in terminis licitæ de iure naturæ, gentium & communi ciuili emptionis

nis ex parte Eccleſiaſticorum, & licitæ venditionis ex parte ſæcularium; atque hanc facultatem, licitæ omni iure emptionis, dicimus non poſſe tolli lege laica ſine graui præiudicio libertatis Eccleſiaſticæ.

Sic tandem per Dei auxilium muneri noſtro, & datis in introductione ad controuerſiam promiſſis ſatiſfeciſſe arbitramus, ac luculenter demonſtraſſe, multum quidem ſpeciei, parum tamen aut nihil roboris ineſſe rationibus, quibus iuſtitiam & valorem aſſerere conantur legi Amortizationis pauculi ex legiſtis propugnatores, quaſue propriis adinuentis auxit Illuſtriſſimus Author in ſæpe memorata Diſcuſſione problematica. Speramus nos abundè docuiſſe, nec intrinſeca nec extrinſeca probabilitate niti ſententiam affirmatiuam, irrefragabile verò pondus tum ex ratione, tum ex authoritate iurium, tum ex authoritate DD. ineſſe ſententiæ negatiuæ. Hanc itaque, quisquis es æquus veri æſtimator, iuſtitię & libertatis Eccleſiaſticæ amator, amplectere, hanc tuere, & porrò Eccleſiarum immunitati faue.

A P.

APPENDIX OPERIS.

Examinatur, quæ Illuſtriſsimus Author affert, ſpecialia Statuti de Anno 1672.

SVMMARIA.

I. Examinatus primum ſpeciale.
II. Examinatur ſecundum.
III. Examinatur tertium.
IV. Examinatur quartum.

NE quidquam totius Diſcuſſionis problematicæ intactum relinquamus, coronidis loco hanc appendicem paruo huic operi iungimus, in qua ſpeciales illas quatuor cautelas in Statuto Bauarico de Anno 1672. obſeruatas, & tantopere ab Illuſtriſſimo Authore celebratas, magis remittendo ad illa, quæ copiosè dicta ſunt, quàm de nouo eas confutando, pauculis delibamus.

I. Prima ſpecialis cautela eſt, quòd ſtatutum nec verbulo meminerit Eccleſiarum aut Eccleſiaſticarum perſonarum, ſed ſimpliciter in genere prohibeat bonorum nobilium alienationem in manus non priuilegiatas. Huic ſpeciali obuiauimus *cap. 2. Diſcuſſionis in fine.* vbi dicimus in ſtatutis ſimilibus magis effectum, quàm verba ſpectari: in effectu verò, cùm Eccleſiaſticorum manus non ſint priuilegiatæ, hoc ſtatutum ad illos extenditur; imò

imò Eccleſiaſticos à talium bonorum emptione, hac ratione ſecludendi primaria erat intentio ſtatuti, vt non diffitetur Illuſtriſſimus Author. Quòd autem in effectu non poſſit extendi ad Eccleſiaſticos tale ſtatutum, oſtendimus latè per totum caput 2. remonſtrando, incidere in idem læſæ libertatis Eccleſiaſticæ crimen, qui tacitè, ac qui expreſsè, qui directè, ac qui indirectè eam truncat, diminuit, reſtringit. Certè ſi hanc cautelam, vt non nominarentur Eccleſiaſtici, adhibere neceſſe fuit, reponemus Illuſtriſſimo Authori: ergò eo ipſo agnitum fuiſſe, non poſſe nominatim abſque læſione libertatis Eccleſiaſticæ ſecludi Eccleſias & Eccleſiaſticos: reponemus vlteriùs: ergò nec poſſunt tacitè & in effectu abſque nominatione ſecludi: nam taciti & expreſſi, directi & indirecti hic eadem eſt prohibitio, vt ampliſſimi diſcurſus *cit. cap.* 2. docent: & ſub generali diſpoſitione nequit comprehendi, de quo in ſpecie diſponi non poteſt: L. *Lucius. §. Imperatores ff. ad municipalem.* Gloſſa *ibidem in verb. videaris.*

Qualiter ſtatutum mixtum eſſe debeat, vt etiam comprehendat Eccleſiaſticos, paulò ante *§. præcedente n.* 4. docuimus, item ſupra *cap.* 2. *§.* 2. *nu.* 3. nempe vt ita omnibus ciuibus Reipublicæ ſit promiſcuè communis materia ſtatuti, vt nullo ſtatu Reipublicæ deterior ſit conditio Eccleſiaſticorum, in illis, quæ aliàs iure communi omnibus conueniunt. Pariter docuimus neutiquam ſufficere ſtatutum mixtum eſſe, niſi etiam ſit alienum ab omni

Digitized by Google

ni onere ac grauamine Clericorum, vel priuatione iuris aliàs competentis.

Quòd ſtatutum Bauaricum præter Eccleſiaſticos ab emptione bonorum nobilium plures alios ſecludat, Nobiles non priuilegiatos, Patricios, Mercatores, Ciues, &c. Planè nihil ad rem facit: nequeunt enim Eccleſiaſtici à laico legiſlatore cum his inuolui, & vna cum illis priuari iure ſibi aliàs competente, cùm de illorum iuribus exigente bono publico diſponere poſſit, quia ſubditi ſunt, vt demonſtratum *c.* 3. *§.* 3. *n.* 1. non item de iuribus Eccleſiaſticorum, quia ſubditi non ſunt, vt agnoſcit etiam Gaillius ſæpè cit. *obſ.* 32. *n.* 1. *&* 2.

Quod verò ſtatutum excludens fœminas à ſucceſſione immobilium extantibus Maſculis extendatur ad moniales, quæ tempore ſtatuti conditi iam tales ſunt nullus docet Canoniſta aut Theologus aut refragatur irrefragabilis ratio; quòd iuriſdictio extendatur in non ſubiectos; quales euidenter ſunt Moniales profeſſæ. Et quia hæc ratio ceſſat in illis, quæ tempore ſtatuti conditi erant adhuc ſæculares, ac proinde legiſlatori laico ſubiectæ, ideò illæ Includuntur, nec propterea ſuccedunt, quandò poſtea moniales fiunt, quia perſonas ſemel legitimè excluſas profeſſio ex nullo iure reſtituit. Et ita cum reliquis intelligendus Gaillius *cit. obſeru.* 32. *n.* 4.

II. Altera cautela ſpecialis, quòd non ab omnium bonorum immobilium emptione eccleſiaſtici arceantur, plenè præcluſa fuit *cap.* 2. §. 2. *n.* 3. *& fin.*

vbi

vbi oſtendimus bullarem excommunicationem illos ferire; qui aliquo modo reſtringunt libertatem eccleſiaſticam, licèt non reſtringunt omnimodis. Reſtringitur autem aliquo, & quidem notabili, modo, dum eccleſiaſtici ab emptione nobilium arcentur, non obſtante, quòd longè magis reſtringeretur, ſi ab omnium immobilium qualiumque emptione prohiberentur. Certè ſi laicis propria authoritate licet ab vno genere bonorum ſecludere eccleſiaſticos, habent expeditam, ac diu exoptatam ſemitam ad prohibitionem generalem emendi immobilia; quandoquidem ſibi ſemper eandem poſſunt fingere rationem prohibitionis.

III. Tertia ſpecialis cautela confutata eſt à nobis *cap. 3. §.4. n. 5.* vbi dicebamus, reſtringi libertatem eccleſiaſticam, quando quis cogitur ſupplicando à laico Principe impetrare pro ſpeciali gratia id, quod pro iure conceſſerunt ius Naturale, Gentium, & Ciuile.

IV. Quarta ſpecialis cautela ſeipſam euertit, vt vehementer admirer, in eadem quaſi periodo authorem ſibi ipſi tam manifeſtè contradicere: nam ex vna parte ait; licèt per contractus inter viuos & oneroſos bona nobilia non poſſint venire in manus eccleſiaſticas, relinqui tamen illis ſpecioſiſſimum campum ad acquirendum per titulus lucratiuos & vltimas voluntates: Ex altera verò parte dicit, refrigeſcente antiquo feruore nullum ampliùs periculum eſſe, titulis gratuitis tam pretioſa bona in eccleſias deriuandi. Iam tu mihi, ami-

ce Lector, hunc campum ſpecioſiſſimum, cum nullo periculo tali modo acquirendi combina, & vel ex hoc ſolo capite nobiſcum ceu rerum inexpertis, ludi, conclude. Iudica tandem ſinceramente de cauſæ affirmatiuæ iuſtitia, quæ non niſi tot corruptis Scripturæ & Iurium texibus; malè citatis Partibus, citra veritatem allegatis authoribus debuit ſtabiliri. Iudica, & vale.

Omnia ad Dei, Cælitum, & Orthodoxæ Eccleſiæ Romanæ, cuius arbitrio omnes huius operis litte rarum apices humillime ſubmittimus Gloriam.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

oogle